THERAPIA GENERALIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM ANNUENTIBUS

GNIFICO DOMINO PRAESIDE ET DIRECTORE, SPECTABILI
MINO DECANO, ET CLARISS. D. D. PROFESSORIBUS PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA IN REGIA SCIENTIARUM
UNIVERSITATE HUNGARICA CONSEQUENDA

CONSCRIPSIT

ANTONIUS RÖSSLER.

PESTHINI.

Typis Josephi Beimel.

1843.

§. 1. Therapia est illa scientiae medicae pars, quae praecavendorum, mitigandorum et sanandorum morborum cognitione absolvitur.

§. 2. Dividitur therapia in generalem et specialem. *Generalis* docet principia et methodos sanandi generalis. *Speciales* principiorum horum et methodorum ad singulos morbos applicationem exponit.

§. 3. Scopus igitur therapiae est morbos futuros praecavere, contractos radicitus tollere, aut, si id amplius non conceditur, mitigare. Neque quidem in morbis, pro insanabilibus habitis medicus animum mittat, sed omni studio in eorum profligationem adlaboret, plnrimi enim morbi — vel ne fortassis omnes — relative tantum insanabiles sunt.

§. 4. Ut medicus scopum suum praefixum, quantum fieri potest, consequatur, ante omnia morbum praesentem cognoscere eum oportet, quod examine aegrorum rationali exigi ut optime potest. Comperta exinde symptomata inter se sunt combinanda, his deinde diagnosis et prognosis, ac ultimo indicatio est superstruenda.

I. Examen aegrorum.

§. 5 Methodus examinandi duplex est, genetica et analytica. Prior morbum ab origine usque ad statum praesentem excipit: altera vero omnia symptomata praesentia indagat, mente et cogitatione comprehendit, et exortam deinde imaginem cum aliis morborum formis sibi similibus comparat. Hae duae methodi sunt invicem uniendae, et in investigatione certus ordo est observandus.

§. 6. Genetica methodus bifariam discedit. Prima pars eo tendit, ut ratione cognitam habeamus individualitatem aegri, quo spectat: Constitutio individualis seu habitus externus, aetas sexus, temperamentum, idiosynorasia, diatheses, consuetudo, opificia et negotia aegrorum, mentis occupationes, patria, mores patrii, locus domicilii, morbi jam perpessi et eorum exitus. Haec omnia summi sunt momenti, praecipue in morbis chronicis.

Altera pars occupatur narratione ipsius aegri, qui absque gravi causa non interrumpatur, ne essentialis aliquid omittat. Eruantur simul tempus et cirscumstantiae, queis morbus exordium sumsit, dein causa, quam aeger ipse accusat. Ex enarratis et observatis

patet plerumque, quid de statu aegrorum anamnestico aut praesenti scitu adhuc necessarium superest, quod congruis quaestionibus eruendum. Quaestiones sint essentiales, ne tempus teratur inanibus aegrique vexentur, vitandae sunt quaestiones tales, quas aegri simplici responsione: ita aut non absolvere possunt, sed quaestiones ita sint constitutae, ut aeger sincere et exacte respondeat.

§. 7. Omnibus his supradictis absolutis symptomata morbi tam subjectiva innotescunt, objectiva enim methodo analytica eruuntur. Haec methodus explorationem aegri ex judicio medici comprehendit, et universam anthropologiam medicam amplectitur, ergo non tantum indicia pathologica, sed etiam ad physiologiam, obstetriciam, therapiam et medicinam forensem spectantia postulat. Exploratio ipsa judicium medici confirmare debet. Ordo examinandi non semper idem possibilis aut recommendatione dignus est; complures enim ordines in usum venerunt alii commendant ordinem anatomicam, alii juxta diversas regiones, alii ordinem phisiologicum juxta functiones, alii juxta systemata. Praxi magis convenit exploratio juxta functiones aut juxta systemata.

§. 8. Exploratio juxta systemata hoc circiter ordine suscipi potest:

1) *Systema vasorum.* Attento animo considerare oportet pulsum arteriarum et cordis quantitative qualitative, aberrantem et quidem ejus frequentiam, vim, magnitudinem, aequalitatem. Meminisse etiam oportet, in omni casu individuali pulsum esse diversum, pro diversa aetate, diverso sexu, temperamento et diverso statu ejusdem hominis. Nec statim, cum aegrum accedimus, pulsum contingimus, quia pulsus saepe medico intrante ob animi motum typum mutat, nec manu frigida, aut digito uno, sed una manu brachii extremitatem carpalem comprehendimus, alterius vero digitis tribus summa attentione saltem uno minuto exploramus. Consideremus simul cordis palpitationem, tremores, sensum pressionis, anxietatis, venarum amplitudinem, turgorem, congestiones, varices venarum, earumque saepe pulsationem, praesertim venarum jugularium; praeterea conditionem sanguinis per profluvia aut per venas recenter emissi, aut vase clauso loco congruo asservati, quantitatem et qualitatem se- et excretionem ad systema vasorum pertinentium, ut: secretio muci, salivae, urinae; tumores forte praesentes, ut tumores glandularum lymphaticarum.

2) *Systema nervosum.* Ante omnia conditio centri systematis nervosi et functionum ab illo dependetium examinetur, nempe sensus communis: an aeger percipiat lassitudinem, dedolationem, anxietatem, pruritum calorem animalem, dolorem, qui pro diversa regione etiam diversam significationem largitur, e. g. an in regione frontali, occipitali, aut in uno alterove latere capitis, an in praecordiis etc. Ita investigemus conditionem reliquorum sensuum: au-

ditus, visus, gustus, olfactus, tactus; an sint nimis acuti aut obtusi, vel modo vitiati; pari ratione sunt considerandae conditiones organorum sensuum externae, praecipue oculorum atque totius faciei, in qua saepe signa doloris multifarie exprimuntur; tota etiam physiognomia respiciatur; etiam situs habitusque aegri multum singularis exhibet. quo affectio sensus communis distinctissime saepe exprimitur. Cum adfecto systemate nervoso functiones animae intime cohaerent, inquirendum ergo erit in statum intellectus, conscientiae turbatae, deficientis aut adhuc praesentis; in statum imaginationis ac phantasiae, rationis exaltatae aut languentis, aut exstintae aut perversae; in animi dispositionem, affectus, pathemata, exaltationem aut depressionem, stuporem, alienationem; in voluntatem exorbitantem aut inbecillitatem aut defectum; in perturbationem loquelae et judicii; in conditionem cranii et columnae vertebralis; in tremores, tendinum subsultus, spasmos et in rationes somni et vigiliarum.

3) *Systema respirationis.* Investígatio in respirationem instituitur quoad functionum et quoad organa. Primo qua ratione respiratio absolvitur an sit frequens, an rara, difficilis aut facilis, velox aut tarda, profunda aut brevis aequalis aut inaequalis, calida aut frigida; an sonora, an cum pressione aut dolore. Attentionem dirigimus ad alia phoenomena per respirationem producta, inprimis in tussim, an sit frequens, violenta, certis aut incertis temporibus recurrens, sicca, humida, cum aut sine sputis, horumque quantitatem et qualitatem; an respiratio cum singultu, oscitationibus, sternutatione sit conjuncta, attentio simul dirigatur in rationem vocis et loquelae, vox an sit rauca, balbutiens, aut aphona; ad risum et fletum. — Secundo, absoluta exploratione functionis organorum respirationis ipsa organa examinari debent, et quidem conditionem pulmonum, laryngis, alia impedimenta in musculis intercostalibus, abdominalibus et diaphragmate obvia, aut etiam a vitiata structura cordis originem habentia.

4) *Systema chylopoëticum.* Investigatio incipit in ore et per totum tractum intestinalem, organaque omnia ad chylopoësim contribuentia extenditur. Attento animo consideranda est ratio appetentiae cibi et potus, et quidem quoad quantitatem, an sit ultra modum exaltata aut penitus depressa; quoad qualitatem, an sit depravata, aut naturae conveniens; attendamus in vítia suctionis in infantibus, masticationis, deglutitionis, an cum aut sine molestia; examinemus organa horum functionum, conditionem cavi oris et faucium. Pari modo examen instituitur in ventriculi et omnium reliquorum organorum ad digestionem et chylificationem concurrentium respectu sensationum, motus peristaltici et antiperistaltici, secretionum propriarum, digestionis, chylificationis, excretionum alvinarum. Omnes hae conditiones se produnt per sensum inflationis, distensionis, pressionis, constrictionis, frigoris, ardoris, doloris acuti, quibus

deinde difficilis respiratio, capitis gravitas et somnolentia junguntur; haec incommoda vel illico post cibum iogestum, vel pluribus abhinc horis comparent; insinuant se porro ructibus, nausea, vomituriticne, vomitu, diarrhoea, lienteria, ictero, alvo segni, obstipa. Evacuatae materiae iterum quoad quantitatem et qualitatem inquirantur. Praeterea etiam status abdominis in diversis regionibus, et in situ diverso, relaxatis musculis contrectatione pulsatione et tactu exploratur.

5) *Systema uropoëticum.* In hoc systemate explorandum est productum, nempe urina, qnoad quantitatem et qualitatem, an excretio cum aut sine dolore peragatnr. In quibusdam casibus etiam chémica investigatio nequaquam intermittenda est.

6) *Systema musculosum.* Motus musculorum an sit voluntarius aut involuntarius, an celer aut tardus; an peragatur cum sensu grato aut cum difficultate, an penitus cohibeatur, praesertim musculi faciei et extremitatum respiciantur. Attentionem simul dirigimus ad alias cum hoc systemate intime conjunctas partes, nempe ad tendines, ligamenta, cartilágines et ossa.

7) *Systema cutaneum.* Examinanda est temperatura cutis, quae plerumque mutatur; haec se manifestat frigore, horripilatione, horrore, rigore, calore excedente. Contingit haec mutatío diverso tempore et juxta diversas regiones, e. g. in extremitatibus aut praecordiis. Adnotamus etiam colorem et turgorem cutis, ejusque sensibilitatem exàltatam, depressam aut modificatam, dein perspirationem, partialem aut universalem; cutis an sit humida, tensa, laxa, sicca, exanthematibus, vulneribus aut ulceribus defoedata. Ipsum secretum distingui debet, quantitative et qualitative, et quoad effectum, quem praestitit; nonnunquam etiam chemicam investigationem institnere oportet.

8) *Systema generationis.* Organa genitalia non in omni aegro investiganda sunt, séd tum tantum, cum e norratione aegri, aut phaenomenis objectivis suspicio exorta est, morbum in genitalibus sedem habere. Alia exploratio habetur in sexu virili, alia in faemineo; In illo exquirendum est, quando pubertas et quibus circumstantiis evoluta est, ratio habeatur in polutiones nocturnas et diurnas, in erectiones penis nimias aut deficientes, in coitum praematurum, immodícum, in onaniam; an sub evacuatione spermatis dolor observetur, an sperma sanguine sit intermixtum. Inspiciamus simul statum organorum ipsorum, nempe adfectiones morbosas penis, urethrae, prostatae, scroti, testiculorum, funiculi spermatici.

Exploratio genitalium sexus sequioris alia erit in periodo pubertatis, virgínitatis; alia in periodo graviditatis et partus, alia in puerperio, et alia iterum annis climactericis. Tempore pubertatis et virginitatis resciamus initium menstruornm et phoenomena praecedentia et concomitantia, fluxus constantiam, regularitatem, sup-

pressionem aut emansionem cum effectibus; prudenter eruatur quantitas et indoles sanguinis; abusus genitalium per coitum aut onaniam; excessus aut defectus instinctus sexualis. Tempore graviditatis et partus adnotamus animi dispositionem, adfectiones varias, phaenomena post conceptionem subsecuta, idiosyncrasias, successivum abdominis incrementum, tempus, quo motus foetus prima vice perceptus fuerit; relationem graviditatis ad morbum praesentem; dolores, spasmos et alias morbosas adfectiones nervosas; signa partus imminentis, sanguinis fluxum sub ipso partu, aut ante aut post partum, partus durationem aut impedimenta, secundinarum secessum, earumque quantitatem et qualitatem, et tandem conditionem ipsius prolis. In puerperiis inquirimus in decursum puerperii et phaenomena concomitantia, nempe statum mammarum, earumque functionem, lochiorum quantitatem et indolem, transpirationem, debitam abdominis contractionem, diaetam et vires vitales. n faeminis climactericis attendendum est ad emansionem menstruoum vel subitam vel successivam, tempus, quo haec mutatio contigeit; examinetur simul morbi partibus genitalibus aut toti organismo ors insiti. Saepe summopere necessarium est, ín omni periodo itae faeminae organa externa simul investigare.

§. 9. Sub examine debito ordine instituto omnia phaenomena a tatu normali aberrantia diligenter et cum circumspectione colligan- ur, nullum phaenomenon parvi aestimandum, etiamsi sub exordio ullius mommenti esse videatur, quia sub decursu temporis magis volvi et maximi discriminis esse potest.

§. 10. Vera practica methodus examinandi est semiotica vel haenomeno logica, quae incipit a systemate, organo aut phaenoneno sub anamnesi et narratione aegri maximi momenti cognito, occe persedulo examinato transeundum est ad organa vicina cum riori qualemcunque nexum ineuntia, ac ita porro porroque gradienum, donec ex singulorum organorum ad praesumtivum morbi fonum relatione absoluta status praesentis idea resultet. Qui ex articiali hac imagine via breviore tutiora noverunt depromere resultata. rtis sunt primates, scientiae decus, infirmorum solatium,

§. 11. Finito examine semiotico progrediendum est ad statum abormen definiendum, quem ut finem accuratius, et quantum fieri potest, tiam pefecte consequi valeamus, necessarium est examen aethiologium. Examen autem hoc in disquisitione causarum morbi consistit, Causae morborum sunt triplicis generis, vel sunt disponentes el excitantes, vel causa proxima.

§. 12. I. Pro invenienda aegrorum singulorum ín morbos dis, ositione, inquirendum erit in constitutionem corporis, facultates nimae, animi affectus et pathemata, temperamentum, consuetudies, idiosyncrasias. Huc etiam spectant: aetas, sexus, dispositio

hereditaria, com ta, morbi praegressi, vitae conditio, relationes publicae et res domesticae et domicilium.

§. 13. II. Causae excitantes pro parte jam ex ipsa narratione aegri aut.cognatorum, pro parte ex dipositione praesente prodeunt; nihilominus tamen certum ordinem observet est necesse.

§. 14. Investigentur causae excitantes quoad organa, in quibus morbum producunt, et quoad modos, quibus vires nocentes exerunt

1. Causae excitantes quoad originem sunt vel absolutae vel relativae; externae aut internae. Ad externas spectant: Conditio aeris athmosphaerici, alimenta et potulenta, quibus aeger continuo utitur; medicamenta, venena, vestimenta, habitationes, anni tempora, genius epidemiae regnantis, violentiae externae, chemice, aut mechanice in organismum agentes.

Ad internas referuntur: Functiones organismi vegetativae a normali statu aberrantes, ut: masticatio et digestio imperfecta, quae iterum causae sunt vitiatae chylificationis, sangnificationis, assimilationis nutritionis, se-et excretionis, qua ratione etiam producta se-et excretionum quantitate et qualitate a norma recedunt; porro motus et quies, somnus et vigiliae, adstrictio facultatum intellectualium, animi affectus, libidines, cupiditates instinctus. Morbi corporis ipsius saepe causae excitantes alterius morbi esse possunt.

2. Quaedam potentiae externae vim suam morbiferam in superficiem totius organismi et in cutis continuationes ad organa interna pergentes, speciatim in sensus externos exerunt. ut: sol soni, vapores omnis generis; quaedam interum systema respirationis morbose afficiunt, ut varia heterogenea in aëre contenta, e. g. pulveres, fumus; aliae iterum systema chylificationis et circulationis in functione turbant, ut cibi, potus, ingesta varia naturae individuali non convenientia, Dantur etiam internae causae, quae varia ratione noxie in organismum agunt, sic aliae in animam, ut affectus, exercitium facultatum vario modo turbatum, sensuum exercitatio nimia aut depressa aut vitiata; quaedam in systema chylificationis, ut animi pathemata deprimentia, nimia mentis adstrictio; quaedam in systema circulationis, ut anxietas, terror, tristitia; aliae iterum hepati et systemati venae portarum speciatim noxiae sunt, ut moeror, ira, animi affectus.

3. Attendendum in modum, quo potentiae nocentes omnis generis in organismum et animam agunt. Sic quaedam organismum modo mechanico, ut gravitate, volumine, figura, vel laedendo, premendo, tendendo; aliae chemice agunt, ut vi solvendi, corrodendi, adstrigendi, et caustica; aliae dynamice afficiunt processum vitalem excitando, deprímendo, exhauriendo alterando. Sunt potentiae, quarum aliae in corpus, aliae in animam, aliae in utrumque símul vim noxiam exercent.

§ 15. III. Causa proxima morbi est status dynamico-organicus sanitate recedens, quo posito morbi phaenomena comparent. Haec causa sedem habet partim in fluidis, partim in solidis, partim in energia vitali, cujus conditionem in quolibet statu individuali, quantum in viribus medici est, exacte definiri oportet.

II. Diagnosis et Prognosis.

§ 16. Finito examine aegri et causarum nocentium medicus omnia symptomata praesentia et successive evoluta inter se combinet, causarum indolem pervestiget, est necesse, et dein de natura individuali morbi judicium ferat — *Diagnosis.*

§ 17. In diagnosi conformanda respiciendum simul est ad morbi characterem, formam et complicationem.

1. Character morbi determinatur, omnia symptomata, quorum investigatione comperti sumus, inter se conferendo et probe distinguendo, qualem mutationem inter haec symptomata locum habere, an ejusdem sint intensitatis, nec ne, an regularia aut irregularia in mutua sint harmonia, semperque simul ratio genii epidemiae regnantis est habenda. Character triplex esse potest, vel erethisticus, vel synochalis vel torpidus.

2. Forma morbi dependet ab indole potentiae nocentis, ab organo, in quod haec potentia agit, et ab individualitate aegri.

§. 18. Diagnosi determinata morbus nomine insigniri debet. Denominatio morbi characterem, in quantum fieri potest, formam et modificationem designet. Nomina semper talia in usum vocantur, quae a majori practicorum numero usitata et omnibus nota sunt.

§. 19. Stabilita diagnosi decursus morbi indicari debet. Tale praesagium status futuri morborum *prognosis* audit. Objectum prognoseos est duplex: 1. Tempus, intra quod morbus decurrit, 2. Modus et ratio qua morbus exitum nanciscitur.

§. 20. Quoniam omnis morbus quadruplicem exitum habere potest, vel in sanitatem perfectam vel imperfectam, vel in morbum alium vel in mortem, etiam prognosim varim statuendam esse patet: vel bona, vel mala, vel dubia habetur. Bona est prognosis, si morbus in sanitatem perfectam exit, mala vero, si morte terminatur, dubia existimatur, si verisimilitudo existit, morbum praesentem in alium morbum transiturum, qui iterum sanitate vel morte finiri potest.

§. 21. Ad prognosim firmam et satis certam construendam, sequentia notatu digna sunt:

1. Omnia momenta, quae ad stabiliendam diagnosim examin reperta sunt.

2. Morbi characteres: sic prognosis fausta pronuntiari potes in charactere erethistico, minus fausta in char. synochali, maxim infausta in char. torpido.

3. Dignitas affecti organi, quo magis enim organon ad fun ctionem vitae vegetabilis aut animalis contribuit, eo infaustior es prognosis.

4. Individúalitas aegri, respiciendo ad dispositionem, animum temperamentum, morbos haereditarios.

5. Genius epidemiae regnantis; summum periculum peregri nis et advenis instat. Genius epidemiae annuus minus periculosus quam genius epidem. intermittens. Majus periculum timendum i acme epidemiae, quam in exordio et fine. Genius epidemiae a characterem torpidum inclinans magis periculosus est, ut nervosu gastricus, biliosus, interdúm etiam catarrhalis; minus timendu est ad characterem synochalem inclinans, ut vasculosus, erysipe latosus et rheumaticus.

6. Aliae circumstantiae externae accidentales. Quo minus ha favent, eo magis periculum increscit.

7, Ad solidam prognosim requiruntur: Cognitio rationis d cursus, durátionis et terminationum morborum, virium mediatricum possibilitatis medelae ferendae.

§. 22. Prognosís maxime utilitatís futurae sanationis est; i fausta enim praecaveri, evitari et tardari, fausta vero citius indu aut saltem non turbari possunt; ipsi aegri faustis praedictis tra quilli evadunt, animo et constantia armantur, quae ad sanitate recuperandam saepe maxime conferunt.

III. Indicatio.

§. 23. Morbo cognito, perspectis simul causis atque futur statu, medicus de eo solicitus sit oportet, ut morbum aut suffla minet, aut saltem mitiget, in hocque negotio rationem ubique se quatur, et de fine praefixo claram sibi comparet notionem. Dete minatio scopi in cura praesenti attingendi ex firmis rationibus d ducta, vocatur *indicatio;* ea vero, quae medicum ad hanc indica tionem formandam ducunt, — *indicantia.*

§ 24. Fontes indicationis sunt: Morbi character, forma, sede gradus, complicatio, compositio; individualis aegri constitutio, a tas, sexus, temperamentum, conditio organisationis et vitae genus dein momenta causalia et effectus eorum, quae hucusque consult aut fortuito applicata sunt. Ex hís elementis et ex idea morbi pr cedit indicatio vitae et indicatio morbi. Prior integritatem organism

sani conservare, altera vero morbum ex organismo eliminare aut mitigare nititur. Illi indicationi respondet prophylaxis universalis, quae est vivendi ratio ad normam hygienes; haec vero indicatio in plures alias indicationes subdividitur: *a*) indicatio exspectativa, *b*) indic prophylactica seu causalis ad causam remotam, *c*) indic. sanatoria s. causalis ad causam proximam, *d*) indic. symptomatica, *e*) indic. palliativa, *f*) indic. urgens, s. vitalis.

Complexus omnium eorum, quae medicus cogitat, molitur et agit, ut his indicationibus respondeat, vocatur *cura.*

§. 25. Fundamentum unicum atque firmum omnis curae est cognitio et rationalis directio medicatricis naturae. Haec enim cognitio processus, eorum symptomata atque causas docet, quibus organismus legibus evolutionis naturalis et vis mutuae cum rebus externis se tuetur atque sanat; edocet etiam nos de processibus morbosis, qui sponte sanantur, aut ab aliis morbis nos defendunt. Natura etiam saepe remedia indicat, quae ad tollendum morbum maxime idonea habentur, aeger enim instinctu quasi compellitur ad quaerenda remedia, quae ei conducunt, e. g. qui morbo acuto laborant, copiosum potum desiderant, febri putrida laborantes acidula constanter exposcunt. Exemplum praebent ipsa animalia, plantas enim salubres quaerunt, iisque vescuntur, quibus in statu sano nequaquam utuntur.

De actione naturae medicatricis viri summi nominis opera praestantissima in lucem ediderunt: Greiner, der Arzt im Menschen. Jahn die Naturheilkraft, System der Physiatrik. Strauss, die Heilkraft der Natur. Hufeland, Journal 1833. Choulant, Anleitung zur ärztlichen Praxis. C. A. W. Richter, Beiträge zur wissenschaftlichen Heilkunde. 1842.

In omni morbo, quem natura saepius sanat, medicus sanationem artificialem instituens opus suum ita aggrediatur, ut sanationem naturalem, quousque licet, imitetur.

A. Cura exspectativa.

§. 26. Cura exspectativa s. physiocratica est sedula decursus morbi, et quam natura instituit, sanationis observatio; quam sanationem medicus solum remotis impedimentis promovet.

§. 27. Haec cura indicatur sequentibus:

1) Si vires vitales individui adeo activae sint, ut morbum coërcere possint, ut in individuis juvenilibus ante evolutionem pubertatis, consuetudine et luxu nondum effeminatis, et a tramite naturae in vivendi ratione non deflexis.

2) Si processus sanationis ejus est conditionis, ut juxta experientiam in sanitatem abeat, si in munere suo non turbetur, ut in febribus et inflammationibus mitioribus et periculi expertibus,

praecipue in organis minus nobilibus, forma simpliciore et cha racter mitiore.

3) In morbis salutaribus, si morbus praesens tollendo alio morbo aut delendae illius dispositioni inservit, e. g. tinea, febris intermittens.

4) Si sufficientia sanationis symptomata praesto sunt, praesertim in stadio coctionis et criseos.

5) Si morbi sanatio impeditur influxibus diaeteticis aut physicis, quorum actione morbus sustentatur aut novus producitur. Casus frequentissime occurrens.

6. Si diagnosis morbi initiantis aut jam evoluti non clara habetur, quin symptomata tamen periculosa urgeant; aut si morbum novum medico tractare contingeret, cujus natura penitus latet, e cui hucusque nec empyria remedium opposuit.

7. Si remedia efficacia et experientia probata, quaeque morbum directe et celerius tollere possunt, existant quidem, ea tamen sine omni damno in usum trahi non possint. Sic in pluribus casibus medicamina propterea nocent, quia processum naturae sufflaminant, observationem impediunt, et ab organismo majorem virium vitalium reactionem exigunt, ita ad summum naturae donum, ejus vim medicatricem deprimant.

§. 28. Contraindicationes sequentes: 1) Indic. vitalis, 2) indic prophyl. 3) indic. palliativa, et 4) quoad indicationem sanatoriam: *a*) In individuis, quorum vires naturales jamjam exhanstae existunt, ut in senibus, in valetudinis imbecillitate et usu remediorum nimia inducta laxitate. *b*) Talia sanationis impedimenta, quae tantum arte removeri possunt. Quo pertinent influxus aethiologici, v. g. aeris atmospherici corruptio; aut symptomata perniciosa, e. g. hyperemesis; aut mutationes materiae quoad cohaesionem et formam morbi producta, perversa chemica mixtio; actio vitalis nimium exaltata, aut depressa, aut sublata, abnormis ejus deflexus ab normali statu, et si consuetus morbi decursus non observetur, sed morbi vehementia crescat.

§. 29. Media, quibus haec cura absolvi potest, sunt omnes influxus externi, quos natura in spontanea sua sanatione etiam exhibet. Medici ergo est, naturam medicatricem secundum rationem experientiam et artem suffulcire, adjuvare et dirigere. In genere normalis organismi evolutio est promovenda, quo etiam educatio tam corporis quam animi sub consilio medici pertinet, incipiendo a foetu usque ad plenariam evolutionem.

§. 30. Specialia remedia sunt illae potentiae externae, quarum organismus vivus ad servandam vitam et restaurandam materiam organicam indiget. Hae potentiae vocantur remedia diaetetica; modus vero et ratio, qua haec remedia applicantur, ut sanationi respondeant, dicitur regimen diaeteticum.

Proxima remedia diaetetica sunt pontentiae physicae: vis cohaesionis et gravitatis. Temperatura caloris externi, quae sub diversis conditionibus est vel augenda vel imminuenda: electricitas, galvanismus, magnetismus. Lux et sonus sunt remedia magni momenti in cura psychica. Aer atmosphaericus non in omni morbo ejusdem constitutionis esse potest, sed pro diverso scopo etiam ejus conditio mutari debet. Ubi actio vitalis est augenda, aer sit siccus, purus, liber, vapores aerem corrumpentes et oxygenium absorbentes removeantur, effluvia putrida acidis mineralibus sunt destruenda, cubilia ventilanda. In casu, ubi actio vitalis est moderanda, ut e. g. in morbis pulmonum, aeger in loco versetur, ubi renovatio aeris non continua obtinet, ut in silvis umbrosis, in stabulis pecorum. Attentio simul dirigatur ad vicissitudines coeli status, anni temporum et diei; ad clima, commorationis locum, itinera, vitam in hortis et rure.

§. 31. In disponendo regimine diaetetico medicus potus et cibos quoad indolem et quantitatem exacte determinet. Potus est jam frigidus, súbfrigidus, tepidus, jam aquosus, vinosus, stimulans, nutriens; jam naturalis vel artificialis, et pro varia morbi natura in usum vocatur Sic in morbis febrilibur copiosior est concedendus potus aquosus, frigidus aut subfrigidus; in morbis characteris inflammatorii potus sit aquosus, acidulus, subfrigidus, in torpore stimulans, vinosus; morbi catarrhales et rheumatici amant potum tepidum; morbi colliquativi vinosum, subfrigidem; morbi cum reproductione languente, desiderant potum nutrientum e, g. lac, emulsiones, cerevisiam, Suadendum est aegro, ut ad semel non multum bibat, secus ventriculus magna potus copia obruitur, sed saepius bibat et minorem quantitatem. Tempus, quo bibendum, dependet a siti. In potibus artificialibus medicus substantias scopo convenientes earumque qualitatem et parandi modum aperte indicet.

Cibi characteri morbi et digestionis viribus adaptentur. Determinanda est quantitas, qualitas et tempus absumendorum ciborum Cibi possunt esse e regno animali aut vegetabili; frigidi aut calidi; cibi bene commoliantur, sine appetitu non sunt sumendi, condimentorum simul etiam ratio est habenda. Huc pertinent etiam variae methodi medendi diaeteticae, ut methodus emacians, nutriens etc. In digestione languida sufficit jus carneum, aut caro juniorum animalium, si vero cibi animales nauseam moverent, cibi vegetabiles magís placent, in infimo gradu debilitatis lac conducít, Si medicus nutrire vellet, quin stimulet, cíbos vegetabiles, e mucilaginosis vegetabilibus ordinet.

§. 32. Functiones naturales medicus quoque respiciat, quo referuntur praecipue: cura cutis, ordinatio se- et excretionum motus et somnus. Cura cutis magnum effectum exerít in mor-

bis idiopathicis, in morbis systematis nervosi et vasorum qui cutis, qua organum innumeris nervis et vasis instruitur, quibu actio in universum systema diffunditur. Mundities igitur summ servanda est lotione, balneis. Attentio simul dirigatur in sudo rem topicum aut universalem, suppressum aut nimium, ad ve stimenta et lintea, an sint nimis angusta, an circulationem im pediant, an premant, et calorem retineant, et e qualibus mate riis sint artefactae. In excessu vitali cum nimia caloris animali evolutione vestes adhibeantur leviores e linteo, lectus non si plumeus, sed e stragulo leniore, in casu opposito vestes e lectus calefacientes suadentur.

Se-et excretiones omnis generis ita ordinentur, ut quanti tative et qualitative normali statui respondeant, aegri moneantur, ne nisum in excretionem negligant, aut excernenda retine ant, quorum excretio a motu musculari dependet, ideo motus et quies omnem attentionem merentur. Aliis est concedendus motus activus aut passivus; aliis quies, sub qua iterum diversus situs determinetur, qui est horizontalis, pronus, supinus aut capite, aut pectore aut pelvi elatis, aut in unum alterumque latus.

Remedium momentosissimum naturae est somnus. Justa proportio inter somnum et vigilias est observanda, aeger monendus, ne in seram noctem vigilet, ne tarde aut laute coenet, ne noctes pervigilet elucubrandi causa: interdicantur bachationes nocturnae; lectus plumeus. Ad provocandum somnum sensuum excitatio, animi motus et congestiones sunt sedandi, exhalationes non impediendae, opertorium sit leve, ne perspiratio et respiratio turbetur, situs sit opportunus; derivatio a cerebro semicupiis et clysteribus, praecipue aer sitpurus; dormitorium sit tenebricosum et tacitum; removeantur, odores strepitus, etc.

§ 33. Cura psychica summae est neccessitatis, et in reliquis medendi methodis etiam magnam partem sanationis efficit. Psychica enim momenta sunt remedia saepe potentissima ad implendas varias indicationes: tuentur, mitigant et sanant; excitant et sedant; roborant et debilitant; alterant et derivant; emaciant et nutriunt; relaxant et adstringunt; se-et excretiones promovent ac impediunt.

Regimen mentis a diversitate morbi dependet, et est duplex, negativum vel praeservativum, positivum vel excitans, in utroque casu medicus ope sensuum externorum in animum agere potest. Stimulos in hoc sensus agentes ita disponat, ut harmonia inter sensus externos et internos reducatur. Inter hos stimulus lux summam attentionem requirit. In dejecta systematis nervosi reactione, praevalente mentis stupore, animo prostrato, timido, tristi, lux solaris potenter animum erigit; animi vero turbas et

imaginationes exaltat umbra et tenebrae deprimunt. — Sonus amoenus excitat nervos, magna est musicae virtus, animi enim tranquillitatem inducit, auditum et totum systema nervosum suaviter afficit. Odores etiam in systema nervosum agunt, et actionem sympathice ad organa respirationis et systema vasorum diffundunt; sapor actionem nervorum modificat, aeger enim saepe sapore grato refocillatur; tandem et tactui proprius in systema nervosum refluxus.

Regimini sensuum externorum rationali etiam sensus interni in functionibus suis adjuvantur; sic exaltatione stimulorum externorum etiam sensus interni excitantur, et subtractione illorum sensuum internorum turbae compescuntur,

Pari ratione etiam animus regatur, nam animi pathemata saepissime sunt impedimenta pertinacissima omnis sanationis, quare medicus omnia removeat, quae affectum ingratum producere aut sustentare valent.

In cura psychica saepe est excitanda voluntas et agendi cupiditas, cum energia vitali evigilat etiam illa corporis; otium enim, pigritia, subtilis et intensa scrutatio sunt fontes plurimorum morborum. Hic fuga solitudinis, occupatio sensuum grata, consortium et colloquium cum amicis, labores in hortis, obambulatio, equitatio, musica, ars pingendi, lectio librorum, assuetudo muneris officiorum, fides in medicum, pietas erga cognatos amatos, morum et religionis praesidia in auxilium vocantur.

B. Cura prophylactica.

§ 34. Cura prophylactica s. praeservativa futurum morbum avertere studet. Ad hunc finem assequendum ante omnia formatio contagii impediri debet, exortum vero contagium et aliae potentiae nocentes, quae morbum producere valerent, exstinguantur est necesse, et si id amplius fieri nequit, saltem influxum in organismum praecaveamus; et si effectum jam exegísset, hic quo citius suffocetur.

§, 35. Ad exstinguendam potentiam nocentem opus est cognitione naturae, hujus potentiae et remediorum, quibus hoc moliri volumus, Sic excrementa aut evaporationes typhum producere valentes, acidis mineralibus et gase oxymuriatico destruuntur. Ut accessus potentiae morbiferae in organismum arceri possit, novisse oportet atrium, per quod effectum nocentem exercet, e. g. contra pestem inunctio cum oleo pingui laudatur Saepe contagium indivíduo communicatur, quod in alios morbos vim destruentem exercet, e. g. vaccinae in varíolas. Saepe materiae nocivae ín organismo ipso producuntur, ibique diu latent, quin ef-

fectum exerant, hae primum removeantur. Saepe etiam dispositi in unum alterumve morbum extinguenda est. In dispositione uni versali exorbitans reactio vitalis moderanda. et languens erigend est, ut harmonia inter functionis restituatur, quod exactissim saepe regimine diaetetico consequi licet. In dispositione partia actio vitalis in organo laeso restituatur. Sic primus fomes in mo bis chronicis plurimis in dispositione locali latet.

C Cura sanatoria.

§. 36. Vocatur etiam causalis ad causam proximam, s. e sentialis, s. primaria, s. radicalis, s. curatoria et haec malu praesens tollere et integram sanitatem restituere conatur.

§ 27. Generatim tres indicationes complectur.:

1. Momenta causalia aegrum infestantia sufferenda et ener vanda, et omnes influxus, qui morbum alere valent, sunt arcend

2, Causa remota sublata, morbus ipse, ejusque causa proxi ma est immediate adgredienda.

8. Tractatio diversis stadiis adaptetur.

§ 38. Quod primam indicationem attinet, curatio, non priu est instituenda, quam sublatis causis occasionalibus. quibus re motis simul etiam effectus saepe removentur, Causa vel extr vel intra organismum haeret. Si eliminari nondum possunt, salter sunt destruendae vel immutandae, ut vim inimicam deponant, e organismi receptivitas erga eas moderetur.

§. 39. His peractis, aut si causae hae nequaquam devinc possent, accedendum est ad alteram indicationem: causa nemp proxima est supprimenda. Cura non tantum diverso characteri diversae formae et gradui, sed etiam aetati, sexui, temperament et aliis vitae circumstantiis accommodari debet. Quoniam ver haec causa saepe latet, ac etsi cognita, tamen remediis in ean specificis caremus, morbum indirecte adgrediamur, et sic sana tionem moliri conemur. Ex his patet, curam radicalem esse dup licem; directam, s. proprie sic dictam radicalem, et indirectam

Directa cura causam, indolem et sedem morbi immediate ad grediens via brevissima ad sanitatem restituendam tendit Hae cura est vel empyrica vel rationalis Prior morbum tollit remedii experientia comprobatis, e. g. sanartur morbi syphilitici hydrangyro. febris intermittens China. Rationalis vero cura requirit perfectam cognitionem morbi et omnium ejus rationum ad naturam externam et ad organismum; hac cognitione medicus ad seligenda remedia quae processum morbosum directe suffocare valent, ducitur. Pul cherrimus medicinae finis, sed per raro consequendus!

Indirecta cura morbum tollere studet eo, ut morbus intactus relinquatur vires vero vitales ita moderentur, ut harum ope morbu

superetur; pro diversis ergo adjunctis incitantur aut moderantur, ut harmonia inter eas reducatur, e. g. Sanatio inflammationum. Saepe morbus per morbum sanari debet. In hoc casu aut morbus primarius intenditur et acceleratur, aut morbus alter ex consilio ad suffocandum morbum primarium excitatur. Prior sanatio indicatur, si mitior sanandi modus non datur, et si medicus omnes morbi rationes ita perfecte noscat, ut totum decursum morbi ejusque vim in organismum summa cum verisimilitudine praedicere valeat. Altera sanandi ratio, ut ad sanandum morbum primarium morbus secundarius excitetur, exequi potest, si morbus secundarius arti aut naturae facilius cedat, aut si methodus medendi facilior ac tutior non constet. Morbus secundarius excitatur in parte aliqua ab organo affecto remota eo scopo, ut processus morbosus recens alterum antagonistice opprimat. Huic principio innititur methodus derivans, in quo negotio vero summa prudentia est necessaria, ne morbus arte productus gravior sit, et sanationi diutius resistens.

Per curam hanc indirectam sanatio saepe cum celeriore et pleniore successu adjuvatur, et permultis in casibus hujus curae solius ope sanationem moliri et revocare succedit.

§. 40. Ad implendam indicationem rationalem necessarie requiritur, ut etiam cura diversis stadiis accomodetur. Hinc determinandum venit, an morbus quo ocyus tolli et sine periculo in stadiis interrumpi possit, quia compertum habemus, quod decursus morborum multorum certis stadiis regulariter adstrictus sit, ut sine periculo gravissimo sub nulla conditione turbari possit, v. g. morbilli; e contra alii morbi sub evolutione supprimi possunt, quin detrimento sit sanationi, e. g. inflammatio pulmonum, morbus venereus.

In diversis stadiis sequentia observanda veniunt:

1. In stadio incubationis cura prophylactica est adhibenda, quod etiam in stadio invasionis saepe adhuc cum fructu adhiberi potest, si medicus naturam morbi et remedia noscit, quibus morbus radicaliter eliminari possit.

2. Sub stadio incrementi eadem ratione, qua morbi extensio crescit, etiam curae operationes intendantur, semperque tamen medicatrix naturae est respicienda; quo magis haec viget, eo minus artis auxilio est opus.

3. Sub stadio acme artis auxilium promptissime succurrat, ne vita morbo succumbat.

4. Sub stadio critico, quod simul est initium decrementi morbi, medicus animum attentum dirigat in indolem criseos, simulque operam navet, ut impedimenta criseos amoveantur, eae excedentes moderentur, legitimae adjuventur, et metastases praecaveantur.

5. Sub stadio decrementi ratio est aestimanda inter morbi decrementum et incrementum energiae vitalis. Si morbi vis eadem proportione decrescit, qua vires vitales increscunt, fortiora remedia

sensim et sensim cedant mitioribus, tandem artis auxilia penitu amoveantur, et autocratiae naturae morbus ad finem vergens relin quitur, vice versa vero remedia continuentur, aut fortiora suppedi tentur, ne aeger in superata vix pericula relabatur.

§. 41. Morbus, quousque characterem et formam retinet, eadem methodo tractari continuetur, quam primom vero metaschematismus minatur, in hunc attendendum, non retento charactere mutat solum forma, therapia eadem ultro applicatur, solum formae accommodatur; mutato simul charactere, medendi methodus non tantum alia, sed saepe opposita instituenda erit, e. g. febris gastrica vergens in febrim nervosam. In hoc casu secundarius morbus majori so lertia oppugnandus est, quia natura sanans morbo primariuio mis es exhausta.

§. 42. Si metastasis locum habuerit, considerandum erit an affectio morbosa in parte nobiliori suppressa in organo aut systemate minus nobili erumpat, in quo casu nequaquam est supprimenda sed fovenda, si vero contrarium evenerit, omni conamine talis metastasis, ut avertatur, adlaborandum est; si jam accidisset, tum morbus in parte minus nobili revocari aut alia in parte illi morbo analoga affectio elici debet.

§. 43. Majoribus premitur difficultatibus morbus complicatus qui ille denominatur, in quo plures affectiones morbosae diversae naturae in uno individuo exsurgunt. In malis complicatis diversa ratio habeatur inter diversos morbos. Si morbi sunt in nexu causali, tum cura radicalis tantum contra morbum primarium instituatur, hoc suffocato reliqui etiam evanescunt, aut facile curam admittunt, e. g. icterus cum obstructione hepatis. Si vero morbi diversi etiam diversam causam agnoscunt et plane a se invicem independentes, saepe morbi ejusdem conditionis sunt, ut morbo cuique propria remedia eodem tempore loco opportuno, systemati aut organo respondentia opponi possunt, e. g. Scabies et catarrhus. In malis quibusdam complicatis plane diversa cura exigitur, et saepe plane opposita, ita ut remedia uni morbo faventia morbo concomitanti noceant. In hoc casu cura suscipienda erit contra morbum majori periculo stipatum, e. g. Scorbutus et syphilis.

§. 44. Sublato morbo integritas sanitatis nondum restituta est, saepe adhuc debilitas actionis vitalis aut inclinatio summa in morbum vix devictum aut in alium saepe graviorem remanet; cura radicalis continuanda est, incipit nempe stadium reconvalescentiae, in quo potentiae nocentes dispositioni praesenti faventes removeantur, ipsaque dispositio supprimatur, energiae vitali debitus vigor restituatur et organismus aut singula organa restitutione materiae plasticae in decursu morbi perditae ad sustentandas vires vitales inducatur.

§. 45. Cura radicalis contraindicatur: 1) In morbis sic dictis salutaribus, qui ad sanitatem necessarii sunt. 2) In morbis locali-

us, qui sunt effectus dispositionis generalis. 3) Si medendi ratio ericulosior est, quam ipse morbus. — In his casibus cura exspetativa est suscipienda, aegrum deserere tamen non possumus.

D. Cura symptomatica.

46. Cura symptomatica non morbum sed illa phoenemena iorbi externa removere nititur, quae sine periculo scopi propoiti removeri possunt, aut quae sanatíoni plane obstant.

§, 47. Adhibetur; 1. In morbis, quorum symptomtaa molimina anatoria naturae aut artis conatus intercipunt, e, g, convulsiones, iarrhoca, vomitus.

2. Ubi contra morbum nullum, contra symptoma vero reiedium possidemus experientía probatum.

3. In morbis, quorum symptomata adeo molesta sunt, ut mor-ıum praesentem exasperent, e. g. dolores cruciantes, pervigilium, ussis frequens in pleuropneumonia.

4. In morbis, quorum natura incognita est.

5. Sí symptomata exsurgunt cum tali energia, ut in morbum lium gravissimum aut complicatum transire minantur.

§. 48. Contraindicatur iis in casíbus, ubi in relatione opposita st cum cura radicali, qua ratione morbus retardatur, turbatur, aut lane cxasperatur,

§. 49- Haec cura cum radicali in pluribus casibus coincidit, et sdem principiis stipatur, nam in ipsa cura radicali saepe tantum ymptomata sanantur, etiam remedia plurima ct optima tantum ymptomata sanant, quibus sublatis saepe praecipuum sanationis bjectum removetur, e. g. remedia contra vomitum. aestum, frigus, pasmos. pervigilium. Quaedam methodi medendi, e. g. methodus erivans con ra symptomata tantum deriguntur.

E. Cura palliativa.

§. 59 Cura palliativa est mitigatio morbi, et quoad scopum a cura symptomatica differt.

§. 51. Indicatur in morbis sanabilibus et insanabilibus, in quius ultimis unica atque tutissima existit. In morbis sanabilius tantum d mitigandos effectus quosdam periculosos, aut ad evolutionem tatus morbosi citiorem et magis normalem instituitur, e. g. resolvenia in gastrosibus; expectorantia in catarrho; emollientia in inammationibus. Magis repondet in morbis insanabilibus, praecipue n degenerationibus et desorganisationibus. In his casibus ulteriorem rogressum retardare aut penitus cohibere, unum organon post lterum defendere, et quantum fieri potest, impedire jubet, ne tous organismus corripiatur, e. g. in colliquationibus; removeantur ausae, quantum potestati artis conceditur, qua ratione saepe indicaio curatoria supplctur. Sic tractatio diligens, et regimen naturae convenienter coordinatum in morbis insanabilibus unicum medium mitiga

tionis mali habetur, e. g. praecavetur catarrhus in phthisicis; in morbis abdominalibus solerter vitentur alimenta cruda, et flatus moventia; in nevrosibus animi motus et sexuales excitationes.

§. 52. Remedia palliativa ex amplo medicinae penu sumuntu jam requiruntur stimulantia, jam sedantia, jam nutrientia et roborantia, prout indicationes ratione et consilio medici fundatae id postulant

§ 53. Contraindicatur in omni casu, ubi morbum curae radical subjicere valemus, tum enim tantum impedimentum et dilatio sanationis esset; neque operationis chirurgicae instituantur, ub nulla spes sanationis fulget.

§ 54. Si morbus insanabilis exitum lethalem jam minatur, medici est, ut eum mitiget, quantum in viribus ejus existit, quae indicatio *euthanasia* nominatur, et partem curae palliativae efformat. Observatorem attentum non effugiet, ipsam naturam pro mitigatione morbi plurimum conferre, cum mors in plerisque casibus moribundis non tam terribilis apparet, quam adstantibus videtur, illi enim sui non consii nihil de statu praesente sentiunt. Medici ergo etiam est, ut mortem instantem paccatam reddat, quod potissimum a solerti cura circa moribundum, a humanitate et comitate erga ipsum dependet, moriturus etiam animo tranquillo et hilari inter proximos familiaresque sustineatur, non vexetur vectione in curru super strata aspera in regiones montanas aut ad thermas haud propinguas. aut remediis aut plane operationibus cruentis et periculosis. Defendat medicus agonizantem contra superstitiones paene aniles atque rudes adstantium, omnia removeantur, quae quietem ejus turbare possent, aer purus agonizantem circumdet, lectus praesenti statui adaptetur; saepe haustus aquae purae frigidae illum magnopere recreat, labia aut cavum oris humectentur aqua frigida; etiam quaedem remedia antispasmodica aut refrigerantia interdum cum fructu ad mortem paccatam consciscendam adhibentur.

F. Cura vitalis.

§ 55. Cura vitalis, seu cura virium neglectis omnibus aliis vitam periclitantem conservare studet.

§ 56 Indicatur, si morbus tanta vehementia sit, ut praeceps vitae periculum minetur e. g. in tetano, apoplexia, si in morbis non adeo periculosis accedit symptoma valde periculosum et vitae insidias struens, e. g. sub insultu hysterico haemorrhagia profusa; in morbis, qui nullam curam radicalem admittunt, e. g. in hecticorum stadio ultimo. Vita eo conservanda est, ut debita proportio inter incitationem et reproductionem sustineatur. In casu dubio cura vitalis omnibus aliis praeferenda est, quia prae aliis servanda est subjecti existentia; ubi vero periculum illud permittit, cura vitalis legibus curae radicalis subordinari, et in

is casibus, ubi hoc non amplius possibile, curam radicali oppo- itam instituere licet.

Methodi Medendi.

§ 57. Antequam medicus curam morbi incipiat, ideam supre- nam stabilire ei oportet, secundum quam omnia, quaeque sus- ipere velit, ordinet, et talis rationalis remediorum dispositio me- endi methodus vocatur.

§. 58. Quemadmodum morbi in dynamicos et organicos divi- luntur, ita etiam medendi methodi partim in actionem vitalem. artim in organisationis vitia diriguntur. Prior methodus nomina- ur dynamica, altera mechanica.

§ 59. Morbus actionis vitalis vel in incitatione vel in vege- ntione eminet, Morbosae incitationis mutationes ad quantitatis ali- nationes reducuntur, hinc etiam methodi incitationi abnormi res- ondentes opponendae sunt, quae imminutam augere, excedentem ioderare tendunt. Priori indicationi respondet methodus stimu- ins, alteri vero sedativa,

Quia incitatio s. motus organicus manifeste compositus est ex otu expansivo et contractivo, methodus stimulans in duas dispes- itur methodos; quae motum expansivum provocat, volatiliter stimu- ns; quae vero motum contractivum exaltat permanenter stimu- ns nuncupatar, quae vero motum contractivum restringit, relaxans citur. Methodus sedativa partim in vitam sensiferama partim in vi- m irritabilem dirigitur.

Vegetationis processus quantitate et qualitate a norma naturae ecedit, hinc cuilibet aberrationi methodus convenit consentanea. egetationis processu languente methodus restaurans indicatur, ex ce- nte vero artificialis humorum evacuatio suscipienda erit, quae imorum evacuandorum et viarum per quas instituitur, 'acucatio est diversa Sanguinem evacuans, emetica, purgans, dia- ioresis et diuresis In morbis, qui e qualitate vegetationis pro- ssu abnormi nascuntur, metamorphosis progredientis et regre- entis ratio habenda est; nisus plasticus ergo vel est augendus, hunc finem methodus roborans adhibetur, vel est restringen- is, tum methodus solvens indicatur,

§ 60. Medendi methodi fundamentales in duas ordines abeunt, incitationem s. vitam animalem, et in vegetationem s. vitam getativam.

Ad primum ordinem pertinent;	II. Ad secundum ordinem;
Methodus incitationem inducens	A. Methodi quantitati vegetationis respondentes.
1. Methodus stimulans,	1. Methodus restaurans.
a. Methodus volatiliter stimul.	2, Methodus evacuans.
b. Methodus permanenter stimul	

B. Methodus incitationem deprimens.
2. Methodus sedativa,
a. Methodus sopiens pro vita sensifera
6, Methodus antiphlogistica pro vita irritabili.
c Methodus relaxans.
a. Meth. emetica.
b. Meth. purgans.
c. Meth. diaphoretica.
d. Meth. diuretica.
B. Methodi qualitati vegetat, respondentes.
3. Methodus roborans.
4 Methodus solvens.

I. Methodi medendi pro vita animali.

A. Iucitationem erigentes.

1, *Methodus stimulans.*

61. Methodus st mulans illa nuncupatur, quae opportunis remediis debilitatem vitae animalis tollit addendo majorem vim incitationi.

§. 62. Vita animalis sese insinuat per motum organicum s. incitationem, quae in nervis sensibilitas, in systemate musculari irritabilitas vocatur. Hic motus organicus dependet a facultate motrice s. incitabilitate et ab impulsu externo, nempe a stimulo. Si ergo motus organicus externus languet, internus motus adhuc vigere potest, hinc iste motus s. facultas motrix a stimulo quodam impelli debet, ut in motum externum redundet. Externi stimuli huic respondentes sunt omnes, qui sensus externos afficiunt, ut lux, soni amoeni, odores suaves, sapores. objecta tactus, calor externus, electricitas, aer athmosphaericus purus, oxygenio efficax, nutrimenta. praecipue cibi animales, potus vinosi, ipsa mens sensus internos afficiens, imaginationem excitans, animum erigens, et remedia sub titulo stimulantium occurrentia.

§. 63. Indicatur haec methodus in torpore, ubi reactio est augenda et actio vitalis exaltanda. Vis stimulantium adaptanda est non tantum debilitatis gradui, sed et receptivitati, et quidem in ratione inversa, quo minor receptivitas, eo major vis ad revocandam reactionem requiritur. Receptivitas vero diversa est in diversa constitutione, diverso sexu, temperamento et diversa aetate. Receptivitatem in singulo casu cognoscere arduum est, consultum erit, a minori dosi incipere, et sic sensim ad majorem dosim adscendere, ut desideratus effectus appareat. Quia ergo quodvis stimulans tempore certo maximum efficaciae gradum in organismum attingit, dein vero eadem proportione de sua efficacia perdit, medicamenti, antequam ad minimum gradum perveniat, nova dosis exhibeatur. Evenit saepissime, ut remedium repetitum plane nullum effectum producat, quia organismus his stimulis jam assuevit, sub his cir-

cumstantiis dosis remedii vel augeatur, aut alio adjuvante suffulciatur, aut novum ejusdem virtutis subjungatur, et si hoc fieri nequeat, per temporis intervallum seponatur remedium usquedum receptivitas restituatur. Methodus stimulans modum non excedat, secus juxta leges stimulorum omnis receptivitas exstingui poterit; quam primum enim incitatio ad eum gradum restituta fuerit, ut stimuli ordinarii eam sustentare valeant, remediis stimulantibus abstinendum erit. Si denique incitationis alacritas est provocanda, mere stimulantia sufficiunt, contra vero, dum robur et constantia est addenda, reproductio simul suffulcienda, cum stimulantibus etiam roborantia et restaurantia jungi debent.

§. 64. Methodus volatiliter stimulans convenit vitae sensiferae cum languente motu expansivo, qui se inertia circulationis, decremento caloris animalis, turgoris et sensibilitat s manifestat. Abstinendum erit ab hac methodo excedente jam motu expansivo, quod cognoscendum est summa nervorum sensibilitate, orgasmo et calore animali aucto.

§. 65. Methodus permanenter stimulans favet vitae irritabili, et adhibetur in debilitate incitationis et languore contractionis, in quo casu incitationi robur et constantiam procurare studendum est, sub quibus circumstantiis haec methodus cum roborante fere congruit.

§. 66. Quia pauci incitationis morbi omnia systemata et organa aequali vehementiae gradu afficiunt, sed plurimi tantum determinatum systema aut organon, hinc etiam remed a stimulantia talia adhibeantur est necesse, quae vitalitatem in parte affecta augere valent.

1. In systema vasorum primarie agit Ammonium, quod est unio azoi et hydrogenii praevalentis. Efficacissime agit Ammonium purum, causticum, dein Carbonas Ammoniae pyro oleosus. Ammonium cum acidis vegetabilibus efficacius agit, quam cum acidis mineralibus. His adjunguntur etiam remedia carbonium tenentia, e g. amara.

2. In systema cerebrale eminenter vim stimulantem explicant remedia hydrogenium tenentia. Huc pertinent; Secreta animalia, ut Moschus, Ambra; dein oleum Dippelii, spiritus vini et spirituosa.

Medullam spinalem afficiunt praecipue Arsenicum, ejusque praeparata. Huc quoque spectant: Nux vomica, faba St. Ignatii, Rhus toxicodendron, etc. quorum actio in principio extractivo latet.

In systema gangliosum: Assa foetida, Gummi Galbanum, Ammoniacum, Castoreum; China cum suis surrogatis, radix Caryophyllatae, Anemone pulsatilla, quae praecipue in plexum coeliacum agit; metalla, ut Cuprum, Argentum; et Magnetismus animalis.

3. In systema chylopoeticum pro diversa ejus portione etiam diversa excitantia adhiberi possunt:

a) In os et oesophagum: Cochlearia officinalis, Piper, radix Pyrethri, Cubebae.

b) In ventriculum; Emetica.

c) In partem superiorem tractus intestinalis: Resinosa fortiter agunt, ut Euphorbia, Senna, Jalappa, Colocynthides, Gummi guttae; etiam tonica, principium extractivum amarum, tanninum, acidum gallacicum tenentia, ut: Centaurea benedicta, Quassia, Gentiana, China, Cortex quercus et salicis.

d) In inferiorem portionem tubi intestinalis: Aloe, Millefolium.

e) In hepar: Helleborus, Gratiola, etiam Calomel, fel tauri, Chelidonium majus.

f) In lienem tantum metalla: Wismuthum, limatura ferri.

4. Cutem externam in sua functione sustentant, et quidem:

a) Externe: Cantharides, Sinapis, Mezereum, Calor, Frigus.

b) Interne: Guajacum, Camphora, Sulfur ejusque uniones cum ferro et Antimonialia.

5. Systema musculosum valde excitant praeter nunc nominata; Electricitas, Galvanismus, Magnetismus; eandem virtutem etiam in membranas mucosas ostendunt.

6. In membranas mucosas omnes agunt Balsamica: Balsamum Peruvianum, Oleum Cajeput.

a) In membranam mucosam tubi intestinalis omnia, quae in tubum intestinalem vim stimulantem exerunt.

b) In membranam mucosam pulmonum: Resinae, ut Benzoe, Myrrha, Ammoniacum et principia vegetabilia.

7. In renes: Cantharides, Meloe, Coccinella septempunctata, Daphne Mezereum, folia Uvae ursi, Sarsaparilla, Asparagus off., Squilla marina; kali sulfuricum, natrum cum suis unionibus, sed pravalente basi.

8. In systema genitale: In masculinum: Vanilla, Phosphorus; in femininum; Assa et aromatica, Therebinthina, Sabina.

§. 67. De remediis stimulantibus generatim adhuc notandum, ut parti affectae, si natura remedii admittit, applicetur. Dantur vero casus, ubi pars affecta ita sita aut constituta est, ut directam remedii applicationem non admittat, hoc in casu adhibendum erit remedium, cujus effectus via brevissima ad organon adfectum perveniat, quia omnia organa totius organismi in commercio dynamico sunt, et reactio unius organi stimulus pro altero esse potest.

B. Methodi incitationem deprimentes.

2. *Methodus sedativa.*

§. 68, Methodus sedativa illa nominatur, quae incitationi excedenti imminuendae studet. Hic incitabilitas et stimuli externi probe respiciendi sunt.

§. 69. Incitabilitate exaltata tota energia vitalis frangenda et debilitanda est, quia vitam internam adauctam supponit. Etiam stimulorum vis, sive sensus externos sive internos afficiat, est moderanda. Scopus hic attingi potest quiete corporis et animi, imaginationis restrictione, caloris externi et electricitatis temperatione, minore oxygonii influxu, victu parco vegetabili, potu aquoso, subtractione humorum stimulantium. Quodsi stimulus alienus in organismo haerens causa sit incitationis exaltatae hic primum removeatur, obtundatur, annihiletur. Si motus organicus externus excedit cum imminuta vi interna, receptivitas pro stimulo est exaltata, reagendi vero facultas depressa. Receptivitas ideo excedens est cohibenda, et actio stimulorum externorum ita modificanda, ut receptivitati abnormi respondeat.

§. 70. In hac methodo omnia, quae processum vitalem nimis intendunt, removenda, et vires vitales restringendae sunt, oppositio principiorum vitalium et materierum organicarum imminuenda, et potentiarum externarum, quarum vi processus vitalis nimis augetur, actio restringenda est. Errores incitationis exaltatae in motu nervoso, musculari et cellulari fundantur et cuilibet methodus congrua opponi debet.

a) *Methodus sopiens s. anodyna.*

§. 71. Methodus sopiens incitabilitatem nervorum, seu sensibilitatem exorbitantem sedat. Indicatur: In morbis, in quibus vita sensifera normam excedit, motibus inordinatis concitatis vires exhaurit, et restaurationem retinet, ut ad spasmos solvendos, distentiones nervorum componendas, dolores mitigandos, quietem et somnum conciliandum, secretiones profusas coercendas.

§. 72. Prohibetur: In morbis, in quibus systematis vasorum impetus ultra modum est incitatus, nisus plasticus nimium intensus, ut in inflammationibus, sanguinis congestionibus, praesertim versus centrum systematis nervosi.

§. 73. Methodus haec narcoticis absolvitur. Cum singulae partes totius systematis nervosi sint in ratione polari, ita, ut syst. cerebrale opponatur syst. ganglioso, medulla spinalis vero quasi transitum faciat inter utrumque systema, ideo non omnia narcotica ad totale systema nervosum aequalem actionem exerunt, sed diversis portionibus systematis nervosi etiam diversa narcotica applicanda veniunt. Dantur pro tribus syst. nervosi portionibus tres series narcoticorum.

1. Narcotica in syst. cerebrale agentia, hujus actionem mitigant. [deprimunt, illam syst. gangliosi augent. Repraesentans est Opium cum suis praeparatis. Narcoticum nihil est fixi, nec qua eductum aut productum experimentis obtinetur, sed tantum vehiculum principii est. Memoratu dignus est transitus remediorum

pure narcoticorum ad pura amara, differentia tantum consitit i praevalente carbonio, sic magnae doses Quassiae effectus simile ut narcotica edunt, ideo etiam pure amara in morbis abdominali bus, qua sedantia in sensibilitatem agunt.

2. Narcotica, quae primario modo syst. gangliosum, secun dario modo syst. cerebrale afficiunt, et actionem vasorum praeva lentem mitigant. Primum locum occupat Belladonna, hanc sequun tur Hyoscyamus, Lactuca.

3. Inter narcotica in medullam spinalem agentia principatum sibi vindicat acidum hydrocyanicum, huic junguntur omnia, qua principium idem vegetabile continent; Amygdalae amarae, Ceras nigra, Baccae acaciae sibiricae; Amygdalae persicae, Prunus lau roccrasus, Prunus Padus.

4. Dantur etiam narcotica, quae praeter actionem universalen in systema nervosum etiam in syst. cerebrale aut medullam spi nalem, aut in utrumque simul proprio principio acri agunt, ut Nicotiana, Aconitum, Cicuta, Rhododendron.

b) Methodus antiphlogistica.

§. 74. Haec methodus irritabilitatem syst. vasorum exceden tem moderari, evolutionem caloris animalis nimiam restringere, et elaborationem materiae plasticae ultra normam temperare intendit. Vocatur etiam temperans, refrigerans.

§. 75. Indicatio. In exorbitante reactione vasorum sanguifero rum cum abundante elaboratione materiae plasticae, et evolutione caloris animalis abundante.

§. 76. Contraindicatio. Praesente debilitate universali, in penuria atque in jactura humorum praecedente in diathesi cachectica atque colliquationibus.

77. §. Effectum desideratum largitur evacuatio sanguinis quantitatum sanguinis non tantum imminuendo, sed etiam qualitatem mutando. Actio evacuationis adhuc aliis remediis opportunis, quae topicis indicationibas respondent, et regimine diaetetico bene coordinato suffulcitur. Omnes stimuli sunt subtrahendi, sicut ea, quae nutriunt et roborant, ut irritatio quam minima locum habeat. Summa corporis quies est observanda, lectus sit durior, non mollis et plumosus; aer purus moderate calidus, quia excessivus ut stimulus agit; mundities summa. Cibi non stimulantes aut calefacientes, sed mucilaginosi sunt concedendi, potus aquae maxime convenit, quia calorem excessivum moderat, sitim extinguit, sanguinem spissum attenuat; decocta mollientia e seminibus avenae, hordei, radice Altheae, Salep; emusio tenuis amygdalarum, e seminibus cucumerum, melonum; cum his etiam sales medii adhibentur, praesertim nitrum. tartras lixivae acidulus, sulfas kali, magnesiae, sodae; tartarus imeticus, murias hydrary. mitis. Observetur simul animi quies absint omnis adstrictio mentis et animi affectus.

c) Methodus relaxans.

§. 78. Methodus relaxans cohaesionem partium solidarum moderat, organorum habitum laxum mollemque reddit, ideo etiam dicitur *emolliens*, et quia rationes organismi internas et externas ad indifferentiam reducit, vocatur *leniens*.

§. 79. Indicatur in genere, ubi in motu textus cellulosi observatur nisus in contractionem exuberans, cujus effectus sunt vasorum et cavorum angustatio, organorum habitus strictus et rigidus, magna in spasmos dispositio, et alia motuum impedimenta. Adhibetur in inflammationibus in supurationem aut indurationem vergentibus, remedia adhibita vocantur propterea *lenientia* aut *maturantia*; in nimia tensione textus cellularis, in spasmis musculorum, in stricturis, quare remedia vocantur *relaxantia*. Aliae indicationes sunt: ariditas partium organicarum, secretiones retardatae, durities materiarum excernendarum, obstructio, obstipatio remedia ideo dicuntur *humectantia* aut *lubricantia*; in affectionibus catarrhalibus, in doloribus varii generis, e, g. in cardialgia, colica, tenesmo, stranguria: in profluviis, in aucta cohaesione partium solidarum cum texturae aberratione; in irritatione superficierum partium organicarum a stimulis vel mechanicis vel chemicis dein in morbis adynamicis, in quibus roborantia et stimulantia ob debilitatem et immodicam receptivitatem prohibentur, et ubi venenum aut acre quoddam obvolvendum est, ut partes organicae ab illius actione lethali defendantur. Remedia in omnibus his casibus indicata *involventia* audiunt.

§ 80, Contraindicatur in praeponderante fluiditate aut serositate humorum, in laxitate aut mollitie partium solidarum, in torpore et vera debilitate functionum organicarum; in degestione languida, assimilatione irregulari, in genere in gastrosibus. Etiam in inflammationibus et supuratione attendendum est, ne applicatio remediorum limitem excedat, quod valet in dyscrasiis.

§, 81. Remedia ad scopum propositum assequendum, sunt; Quies, calor moderatus, humidus; medicamenta mucilaginosa. oleosa, farinosa, ut hordeum, oryza, Althaea, radix Symphyti, flores Verbasci, Malva, Tussilago, Gummi arabicum, semina Lini, olea pinguia, pinguedines animales. Sub horum usu semper organorum digestionis et chylificationis ratio habenda est, quia protracta applicatione aut nimia mole haec organa obruuntur et debilitantur. Adhibentur interne sub forma infusi, decocti, emulsionis; externe sub forma lotionum, fomentorum, balneorum cataplasmatum.

II. Methodi medendi pro vita vegetabili.

A. Methodi quantitati vegetationis respondentes.

1. *Methodus restaurans.*

§ 82. Methodus restaurans reproductionem et evolutionem materiae plasticae quacunque via perditae adjuvat, et destructionem ejus impedit. Vocatur etiam *meth. plastica*, *nutriens.* Haec methodus eo dirigatur, ut processus vitalis in systemate reproductionis et vasorum vigens in necessario tenore sustineatur. Si ergo reproductio languet ob languorem processus vitalis in syst. vasorum, debilitas haec est profliganda, digestionem et sanguificatianem adjuvando.

§ 83. Indicatio sub duplici respectu consideranda est, aut enim plus materiae plasticae consumitur, quam organismus reproducere valet; aut reproduciio ipsa languet, ut materia plastica in normali statu conservari nequeat. Indicatur ergo non tantum in phthysi, sed etiam post graviora profluvia muci, sanguinis, puris; in reconvalescentia post morbos acutos graviores, e. g. post febres; post jacturam humorum nobiliorum, ad quos reparandos plus vigorls requiritur, ut in lactatione, aut post jacturam spermatis; post diurna jejunia, et in individuis fame diurna debilitatis et labore fessis cum penuria alimentorum.

§ 84. Contraindicatio in genere nulla datur,, tantum in selectu alimentorum probe notandum, ne morbus nutriatur alimentis stimulantibus aut azoum tenentibus.

§ 85. Haec methodus complectitur partim remedia directa, partim indirecta. Ad direeta pertinet regimen diaeteticum et quaedam medicamenta. Organismo ea alimenta suppeditentur, quae jacturam susbtantiae organicae restaurando indonea sunt Huc referuntur ea, quae jam extra organismum humanum altiorem indolem animalem assecuta sunt, quare optima habentur nutrimenta ex regno animali: et ex vegetabili ea, quae ad indolem animalem accedunt. Praeterea etiam indoles nutriens est respicienda et systemati chylopoetico accommodanda. Languente igitur reproductione, incitatione vero alacri vegetabilia praeferenda sunt animalibus; in casu opposito magis conducunt animalia. In multis casibus etiam remedia pharmaceutica in usum vocantur ad digestionem et chylificationem promovendam. Praesertim commendantur carbonium tenentia, spirituosa, tanninum. amara. Deficientibus adhuc viribus assimilationis et praesente adhuc incitabilitate magna adhibentur aromatica — amara, ut Calamus aromaticus, Colombo, ab his transitus fit ad Chinam, ad mere amara, ad Gentianam, Quassiam, Absinthium et tandem ad ferrum, ab initio cum Naphtis, tinctura Bestuschefii, aut cum acidis, quae vero saepo

diarrhoeam causant; tinctura Martis pomata aut cydoniata, dein oxida ferri: Aethiops martis et ultimo ferrum purum. — Externe pro balneis solutiones salium ferri in aqua, ut globuli martiales, acetas ferri, melius aquae minerales.

Indirecte hac methodo sanandi scopo satisfit, si consumtio materiae organicae praecaveatur: hinc studendum, ut assimilatio, sanguificatio, se- et excretiones promoveantur: per aerem purum, calorem moderatum, motum moderatum, mentis hilaritatem, somnum tranquillum, itinera in clima amoenius et per commorationem ruri, vitentur omnia, quae ad consumendam materiam contribuent ut animi affectus et pathemata, phantasia exaltata, nimia mentis adstrictio, Veneris abusus, et jactura humorum nobilium; ut lactis. etc,

2. *Methodus evacuans.*

§, 86. Methodus evacuans illa nominatur, quae excretionem suppressam restituit, imminutam auget, aut novam aut inconsuetam excitat. Materiae excernendae aut forinsecus in organismum sunt delatae. aut sunt producta formationis ipsius organismi.

§. 86. Finis hujus methodi est vel eliminatio materiarum exo- et endogenarum morbum producentium; vel debilitatio aut imminutio humorum vel eorum emendatio. vel reactio vitalis in organo excretorio excitanda, vel mutatio functionis in aliquo organo per consensum aut antagonismum producenda. Huic fini respondent etiam diversae indicationes, et pro diversa via, qua excretio locum habere potest, haec methodus in plures methodos subdividitur.

a) Methodus sanguinem evacuans.

§. 88. Artificialis sanguinis ad certam quantitatem evacuatio remedium efficacissimum praebet in casu, ubi materia plastica imminuenda, vegetationis et incitationis processus deprimendus est. Eadem ratione, qua sanguis subducitur, temperatur etiam processus dynamicus in sanguine vigens, hujus expansio, calor, vis stimulans restringitur, impetus vitae plasticae, sensibilitatis, et irritabilitatis, cordis et vasorum reactio moderatur.

§. 89. Sanguinis evacuatio dividitur in generalem et localem. *Generalis* dicitur, quae instituitur in vase quodam majore, et cujus effectus diffunditur in totum systema vasorum. *Localis* vero denominatur ea, qua tantum e vasis minoribus organi affecti sanguis ducitur, et effectus tantum in illud praecipue organon dirigitur, quin tamen reliquum systema vasorum affici negetur.

§. 90. Generalis evacuatio indicatur: In morbis, in quibus processus vitalis praecipue in syst. vasorum nimium est exaltatus praesente simul luxuriante materia plastica et plethora vera, e. g.

in synocha et inflammationibus gravioribus. Indicatur etiam in morbis periculosis a nimia congestione sanguinis ad organon nobilius enatis, ut in haemorrhagiis, in apoplexia. Huic evacuationi favet, corpus bene nutritum, athleticum, aetas juvenilis et virilis, temperamentum irritabile, aer purus, siccus, frigidus, lauta vivendi ratio, constitutio epidemica inflammationibus amica.

§. 91. Contraindicatur: In morbis cum vera debilitate vitali, in languore reproductionis, crisi instante aut jam praesente; in morbis colliquativis, in jactura materiae plasticae per evacuationes alias abnormes, in cachexiis, morbis adynamicis nervosis, et si morbus aliis remediis, adhuc profligari potest. Evacuationi huic minime respondet habitus tener, gracilis spongiosus, laxus, aetas magis infantilis et senilis, temperamentum iners. — Generalis evacuatio tantum in summa neccessitate est instituenda, et reliquis remediis mitioribus frustra adhibitis.

§ 92. Effectus hujus evacuationis est duplex: et Immediatus et mediatus Prior consistit in imminutione totius sanguinis copiae-Posterior vero multiplex est: 1. *Attractio,* ubi sanguis versus arteriam venae apertae respondentem magis affluit. 2. *Derivatio,* ubi vasa vicina sanguine abundantia evacuantur. 3. *Revulsio,* ubi sanguis a partibus remotis derivatur. 4. Qualitativa sanguinis mutatio imminutione totius sanguinis et lymphae plasticae. Vitae vegetativae processus moderatur, oritur debilitas et animi deliquium.

§ 93. In evacuatione sanguinis tria momenta sunt respicienda: Tempus, locus et quantitas, Quod tempus attinet, major effectus exspectatur, si statim ab initio morbi evacuatio instituitur, quin tamen sub ulteriore morbi progresssu penitus prohibeatur. — Locus ille eligendus, qui parti affectae vicinior est. Si vero tantum revulsionem a parte affecta et derivationem in aliam partem intendimus, etiam in loco remotiori haec operatio institui potest.

Quantitas sanguinis evacuandi characteri morbi, ejusque gradui, dignitati partis affectae, corporis constitutioni, aetati et regnanti epidemiae genio accommodetur.

Respiciendum est etiam ad effectum evacuationis et ad indolem sanguinis. Major effectus exspectatur, si certa quantitas sanguinis e vena majore, vulnere amplo, majore impetu effluit, et unica vice emittitur. Portio singula emittenda magis ab effectu, quam pondere determinatur, hinc medicus praesto sit oportet, ut e mutationibus sub evacuatione in pulsu et aliis phaenomenis evenientibus quantitatem determinet.

Si morbus cito frangitur, unica evacuatio sufficit; si vero morbus incresceret, abjecta omni cunctatione evacuatio repetenda erit. Quod indolem sanguinis emissi attinet, opperatio haec iteranda est, quo durior et quo magis rubra placenta sanguinis quo crassior, tenacior et firmior crusta inflammatoria invenitur.

§. 94. Localis sanguinis emissio adhibetur: In morbis hypersthenicis topicis, magis ad organon aliquod restrictis, in congestionibus ad hoc organon, dein si constitutio aegri generalem emissionem prohibet, et tandem, ubi neccesse erit evacuationem aliquam naturalem supplere, aut suppressam revocare, ut ad supplendum fluxum haemorrhoidalem, menstruum. Prohibetur vero in altiori debilitatis gradu, tumoribus hydropicis.

Interdum etiam localis evacuatio cum generali conjungitur, praemissa tamen semper evacuatione generali, et quidem, si nimius vitae impetus in systema vasorum per eam quidem jam moderatus esset, urgentibus tamen symptomatibus localibus, aut praesente statu inflammatorio generali. In hoc casu localis depletio sola magnopere noceret, nam in syst. vasorum motus quidem excitaretur, qui sanguinem in vasa partis affectae depleta vehementer urgeret, sed inflammatio topica augeretur.

b) Methodus per vomitum evacuans.

§. 95. Methodus emetica vocatur illa, quae morbos sanat aut praecavet remediis opportunis vomitum cientibus.

§. 96. Effectus hujus methodi per totum organismum diffunduntur, et sunt idiopathici, sympatici et antagonistici. Princeps effectus emetici est idiopathicus, tantum ad ventriculum et intestinum duodenum restringitur, membrana mucosa ventriculi fortiori irritatione corripitur, quare etiam ejus secretio intenditur. Haec irritatio propagatur ad membranam muscularem ventriculi, ideo contractiones fortiores nascuntur, quae musculis abdominalibus et diaphragmati communicantur, et per compressionem hanc fortiorem ventriculi ea, quae in eo et intestino duodeno continentur, sursum sollicitantur et per os ejiciuntur. Principalis hic effectus propagatur sympathice et antagonistice per universum organismum, et praecipue ad eas partes, quae in nexu sunt vitali cum ventriculo per functionum affinitatem, partim per commercium nervorum et vasorum, partim per mambranas. Membrana mucosa non tantum per organa digestionis sed etiam respirationis extenditur, quare eorum motus et secretio intenditur; ab hinc continuatur irritatio ad rete mucosum cutis externae, ideo transpiratio promovetur; pari ratione extenditur effectus ad textum cellulosum, a cujus contractione horripilatio sub vomitu enascitur, et ad omnia, quae cum textu celluloso hoc commercio gaudent, organa effectus diffunditur, nempe ad vasa lymphatica, glandulas lymphaticas, ad venas, quare resorptio et humorum regressus augetur. Irritatio actionem suam exerit inde ad pancreas, hepar, lienem, quorum functio incitatur, et tandem etiam ad syst. gangliosum, quod cum his organis intimo nexu gandet. Compressione musculorum abdominalium sanguinis fluxus ad vasa abdominalia impeditur, quare congestiones versus cerebrum locum

habet. Antagonistice tantum syst. cerebrale corripitur, unde sensuum languor, oblivio, tremor musculorum voluntariorum et debilitas.

Actione emeticorum non tantum in ventriculo contenta ejiciuntur, verum etiam secretiones, humorum stagnantium motus, resorptio accellerantur, spasmi solvuntur, functiones musculorum exorbitantes compescuntur, et cerebri turbae mitigantur. Hos effectus primarios excipiunt effectus posthumi: Resorptionis et secretionis languor, debilitas musculorum et organorum digestionis et chylificationis.

§. 97. Indicatur methodus emetica: Iis in morbis, in quibus materia peccans aut peregrina forinsecus in ventriculum delata, e. g. venenum, aut in ipso ventriculo corrupta, v. g. mucus, pus, vermes via brevissima e ventriculo est eliminanda. In morbis, in quibus secretio tunicae villosae tubi alimentaris, succi gastrici, pancreatici enterici, bilis, aliorum humorum intestinalium est promovenda eorum fluxus impellendus.— In morbis, in quibus reactio organorum digestionis, chylificationis, respirationis, vasorum abdominalium diaphragmatis et musculorum abdominalium est sollicitanda. — In vasorum lymphaticorum inertia et in malis inde enatis, ut tumoribus infarctibus. Si syst. gangliosum est excitandum, cerebri et nervorum inde ortorum actio excedens est componenda, v. g. in affectionibus sensorii communis chronicis, melancholia, mania.

Quoniam effectus emeticorum organismum magna vi afficiunt circumspectio summa est necessaria in applicatione hujus methodi

§. 98. Contraindicatio: 1. Teneritas et abnormis indoles totius organisationis, quae concussionem cum vomitu conjunctam sine periculo perferre non potest, ut habitus plethoricus, apoplecticus, graviditas in haemorrhagiam uteri et abortum inclinans, haemophthysis dispositio in phthisim pulmonalem; varia vitia organica, ut hernia prolapsus, aneuvrisma, varices, obstructio viscerum, eorum induratio

2. Debilitas corporis vitalis, aut penuria humorum, aut insignis praegressa humorum jactura, status adynamicus cachecticus, praecipue in senectute.

3. Inflammationes viscerum abdominalium, pulmonum et aliorum organorum nobilium, e. g. gastritis, pneumonia; excedens sensibilitas et irritabilitas organorum ventriculo vicinorum, spasmi

4. Pertinax alvi obstructio, diarrhoea aut singularis vomendi impotentia.

§. 99. Si malum tantum emeticis tolli posset, emeticum cautissime exhibeatur, aeger ante usum emetici praeparetur, materia enim evacuanda fluidior et mobilior reddenda est, quod solventibus absolvitur. Congestiones sanguinis, inflammationes, spasmi remediis opportunis sunt removendi, et quilibet alius status morbosus, qui emeticis periculosior evadere potest, prudentia et consilio abigatur. Sic obstructio alvi prius abigenda, secus ileus induci potest, diarrhoea est supprimenda, hernia brachierio aut manibus muniatur

§. 100. Vomitus provocatur remediis, quae stimulo tortiori et nauseam excitante ventriculum adgrediuntur. Emesim et alvi fluxum movent: Tartras lixivae stibiatus, Asarum europaeum. Vomitum solum cientia sunt: Radix Ipecacuanhae,, Viola odorata. Ubi summum periculum minatur; et emesis cito desideratur, sulfas cupri et Zinci in usum vocantur

.Etiam sympathice vomitus excitatur per aspectum et odorem ingratum, saepe per solam imaginationem, per vertiginem,. per nimiam ciborum et potuum ingestorum molem, per nauseam, per potum aquae tepidae, et per mechanicam faucium irritationem. —

§. 101. Effectus emetici adjuvantur potu aquae tepidae, infuso florum Chamomillae tenui, sed non statim post assumtum emeticum, secus hoc diluitur, tardius agit, aut ad intestina defertur, in remedium purgans mutatur.

Emesis peragatur vel stando, vel sedendo pedibus dependentibus; vitet caeteroquin aeger omne refrigerium et nimium aestum. Accedente hyperemesi adhibentur mucilaginosa, ut emulsio amygdalarum, mucilaginis, aut spirituosa grata, ut aqua Menthae, Cinnamomi, sp. aeth. sulfurici, aut nitrici,, vinum generosum dosi moderata, et ultimo Opiata. — Externe fomentationes aromaticae ad ventriculum et regimen diaeteticum.

c) Methodus per alvum evacuans.

§. 102. Methodus haec, s. purgans excretionem alvi suppressam aut retardatam adjuvat, faeces collectas eliminat, aut alvum frequentiorem et liquidiorem reddit.

§. 103. Effectus sunt idiopathici, sympatici et antagonistici. Idiopathici ad sola intestina restringuntur. Remedia in hunc scopum adhibenda specifico quodam stimulo membranam mucosam tractus intestinalis irritant, quae irritatio etiam membranae fibrosae intestinorum communicatur, exinde motus celerior sequitur Sympathice irritatio haec propagatur ad viscera nervorum ope arcte cum illis connexa, hepar, pancreas, quare secretio horum organorum augetur, et humorum secretorum copia ad tubum intestinalem ducitur, continuatur irritatio per membranam mucosam late extensam ad vasa lymphatica eorumque glandulas, ideo resorptio acceleratur, ad oesophagum ad cavum oris nariumque, per totam superficiem externam, ad syst. uropoeticum et ad syst. gangliosum, quod viscera abdominalia nervis providet. Antagonistica risitatione functionis cerebri exorbitantes deprimuntur.

Effectus secundarii sunt: Fortiorem tubi intestinalis irritationem sequitur languor, ideo chymi- et chylificatio debilitatur, alvi excretio tarda; per jacturam materiae plasticae nimiam reproductio et processus vitalis organismi retardatur, aliae se- et excretiones cohibentur.

§. 104. Indicatur: 1. Si alvi excretio languet aut supress est; si materiae peregrinae et nocivae forinsecus ingestae, au producta morbosa interne formata e troctu intestinali sunt elimi nanda, v. g, venenum, vermes, pus, mucus, succi intestinale corrupti.

2. In morbis, in quibus secrctio humorum intestinalium es promovenda, fluxus sanguinis per venam portae expediendus systematis gangliosi vita impellenda; motui peristaltico novus sti mulus addendus, ut digestio validior reddatur, aut si detraction materiae plasticae hujus abundantia est imminuenda aut excessu vitalis moderandus. Sic in febribus gastricis, in tumoribus, in farctibus viscerum addominalium, in cachexiis variis; e. g. i ictero; in morbis quibusdam nervosis, ut hypochondria, in co gestionibus sanguinis ad vasa haemorrhoidaiia, in retentione me struorum.

3. Si per irritationem ncrvornm iutestinalium in aliis partibu corporis mutationes salubres inducere conamur, quod vel conse sualiter val antagonistice absolvitur. Sic ad sistendas se-et excre tiones alias profusas, in congestione sanguinis excedcnte versu cerebrum aut pulmones. ad praecavendam apoplexiam, cephalean dyspnoeam, haemophthisim.

§. 105. Contraindicatur: In dispositione maxima in diarrhoe am: aut jam praesente diarrhoca profusa; in nimia ventriculi e intestinorum sensibilitate et irritabilitate; in debilitate totius orga nismi; in penuria humorum; praesente indicatione ad vomitum iu statu colliquativo et in crisi, quae aliis viis erumpere molitu

§, 106. Ut excretio intestinalis copiosior et liquidior evada secretio humorum intestinalium augenda et motus peristalticus in citandus est. quem effectum praestant: Olea unguinosa recentc pressa; oleum olivarum, amygdalarum, Ricini, substantiae mucc sacharinae et acidulo dulces: Manna, pulpa prunorum, Cassia ct Tamarindorum, mcl; sales medii; Magnesia, Cremor tartar. tartras lixivae, tartras lixivae ct sodae, Carbonas et Sulfas ka li, carb. et sulf. sodae, Murias kydrargyri mitis; substantiae vege tabiles resinosae, Rad. Rhei, folia Sennae, Aloe, rad. Jalappae Gratiola, Gummiguttae, Scammonium, oleum Crotonis, Colocyn thides.

Quoad effectus purgantia dividuntur in antiphlogistica e phlogistica. Antiphlogistica tubum intestinalem mitiore stimul adgrediuntur, secretiones abdominales augent, quin reactionem majorem in toto vasorum systemate et caloris evolutionem altio rem provocent, sed potius mitigant. Huc referuntur praecipu olea unguinosa, substantiae vegetabiles dulces et acido-dulce et sales. Phlogistica stimulo fortiore intestina afficiunt, irritatio nem majorem super totum systema vasorum diffundunt, et calo

rem animalem intendunt. Huc pertinent substantiae vegetabiles resinosae, quae interum mitius et fortibus agunt. Prima minus irritant, praecipue Rheum, dein Senna et Aloe. Fortiora gravissime intestina irritant, tormina et evacuationes profusas causant, incaute adhibita inflammationem producere valent. Haec vocantur drastica, inter ea Jalappa saepissime praescribitur.

§. 107. Sub usu remediorum purgantium in genere notandum est: Mitissimo stimulo agentia, olea pinguia recentia, adhibentur in sensibilitate intestinorum exaltata, et praesente dispositione in inflammationem, si simul actio vitalis in syst vasorum est moderanda, substantiae vegetabiles dulces et acido-dulces et sales in usum vocantur. In summa debilitate viscerum abdominalum tam universali quam partiali adhibentur phlogistica minus irritantia, praesertim Rheum. In torpore horum viscerum exhibeantur folia Sennae, rad. Jalap. Aloe, in summa tantum necessitate, ubi alia remedia frustra applicata sunt, in aegro validiore adhuc ad drastica refugium patet.

§. 108. Saepius aeger, ut in methodo emetica, pro usu methodi purgantis praeparari debet. Eo enim in casu, ubi viae ceteroquin liberae ad tractum intestinalem occlusae essent, hae primum apperiantur, et omnia removeantur, quae excretionem alvinam impedire possent, v. g. si nodi haemorrhoidales aut alia corpora peregrina orificium ani intercluderent, haec omnia tolli debent. Retardato fluxu alvino ob nimiam duritiem et tenacitatem in intestinis contentorum, haec primum emollienda et fluidiora reddenda sunt, hinc secretiones humorum in intestinis augeantur, quorum affluxu contenta emolliuntur. Praestant saponacea, salina, praeparata Stibii dosi refracta.

§. 109. Remedia purgantia aut ore ingeruntur, aut clysteris ope injiciuntur, prout vel totus tractus intestinalis, aut tantum intestinorum crassorum adfectio exspectatur. Si vero remedia indicata ex quacunque causa ore assumi non possent, etiam clysteris applicatio necessaria erit, v. g. in gastritide. Ad effectum accelerandum uterque modus saepe indicatur.

§. 110. Sub usu horum remediorum aeger cautelas quasdam observet, est necesse, et regimen diaeteticum stricte observet, vitet omnia, quae animi pathemata excitant graviora; refrigerium, quo tormina et diarrhoea profusa facile provocantur; nutrimenta difficulter digerentia aut stimulantia; versetur in temperatura moderata; victus sit tenuis, potus aquosus, tepidus, e. g. Decoctum Saponariae, rad. Graminis, Taraxaci, serum lactis. Excedente excretione alvi summa quies est observanda, calor moderatus abdomini applicandus, pro potu mucilaginosa, infusum florum Verbasci, rad. Althaeae adstringentia et narcotica raro et cautissime adhibentur.

d) Methodus per cutem evacuans.

§. 111. Haec methodus transpirationem cutis promovere aut suppressam restituere nititur, et duplicem gradum agnoscit, vel secretio cutis eum in modum intenditur, ut sudor copiosus guttatim prodeat, et vocatur methodus *sudorifera*, *hydroica*; vel secretum cutis forma vaporis apparet, et dicitur methodus *diapnoica*, *diaphoretica*. Praeterea etiam adeps, epidermis el aliae substantiae sat magna quantitate excernuntur.

§. 112. Indicationes: 1. Restitutio functionis cutis suppressae aut retardatae, praesentim post refrigerium.

2) Promotio criseos per cutem, si sudor non debito tempore aut quantitate sufficiente fluit, aut si exanthemata, quae saepe etiam critica apparent, in eruptione impediuntur.

3. Correctio humorum, si ingesta peregrina aut in organismo formata discrasiam formant, et si hae materiae ita constituae sint ut per cutem evacuari possint, ut venena volatilia, aut ignota agentia contagii et miasmatis.

4. Si se et excretiones aliorum organorum suppressae per vicariam actionem cutis supplendae, aut si se-et excretiones modum normalem excedentes per antagonismum transpiratione cutis aucta limitandae sunt, v. g diarrhoea dissenteria.

5. Ad impediendas congestiones, ad promovendam resorptionem et removendas collectiones humorum serosorum, ut in hydrope genuino inflammationibus lymphaticis.

6. In morbis cutis spasticis.

§. 113. Contraindicationes: In stadio colliquativo, in stadio cruditatis febris; in individuis junioribus. plethoricis ad congestiones versus caput pronis; in morbis cum vera debilitate conjunctis, in materiae penuria; ubi evacuationes aliae indicatae sunt, ut in morbis gastricis. habitu corporis laxo, molli.

§. 114. Remedia sudorifera sunt aut externa aut interna. Externa sunt diaetetica, seu regimen diaphoreticum. Huc pertinent: Summa mundities cutis. Ea, quae seri expansionem in vaporem promovent, nempe calor externus, praecipue humidus: lectus tepidus: vestimenta, partim qua non conductores caloris, partim ut frigus arceant, in hoc respectu in morbis chronicis maxime respondent vestimenta ex lana, nudo corpore gesta, irritant enim, sudorem absorbent, et frigus impediunt; lotiones et balnea calida, quarum calor individualitati aegri accommodandus est, normalis calor est 29 — 28 gr. R.; aliquibus etiam conducunt balnea frigida, praesertim perfusiones cutis eadem aestuante. Ad diaphoresim promovendam balneis etiam sales alcalia, acida adduntur; et tandem motus corporis equitando ambulando, montes scandendo, luctando, saltu sed cum oblectamento et circumppectione. Majorem

adhuc calorem elicit mechanica frictio cutis *linimentis, setaceis; obtectio corporis panno ex lana aut serico; suffimenta resinosa; rubefacientia et vesicantia caute adhibita. Efficacissimum remedium ad sudorem provocandum est potus tenuis vel tepidus vel frigidus juxta individualitatem aegri, praecipue aqua simplex.

Remedia interna pharmaceutica partim sanguinis congestionem ad vasa cutis augent, eaque vel idiopathice vel sympathice excitant, eorumque capacitatem augent, partim spasticas contractiones solvunt. Haec remedia sunt aut fixa aut volatilia. Haec iterum sunt:

1. *Refrigerantia* in acutis casibus, in orgasmo et statu inflammatorio adhibenda, ut acidum aceticum, citricum, carbonicum in potu, acetas Ammoniae, sales kalini, murias Ammoniae.

2. *Alterantia*, spasmos cutis solventia: Ipecacuanha, Tartras lixivae stibiatus dosi refracta, et Antimonium diaphoreticum.

3. *Stimulantia* pro languente cutis vita, ubi velut tumultuarie sudorem extorquemus substantiis oleo aethereo, resina, balsamis etc. fetis, ut Sambucina, Chamomilla, Thea chinensis, Valeriana, Arnica, Serpentaria, Angelica, Oleum therebinthinae, Camphora, Moschus; acidum benzoicum, succinicum, Ammonium succin. pyro-oleosum, tinctura Pini, oleum Dippelii, coffea nigra; spirituosa, opium et ejus praeparata.

Diaphoretica fixa sunt partim mineralia, ut sulfur cum omnibus praeparatis; sulfur auratum Antimonii; partim vegetabilia acria aut acre-narcotica: Sarsaparilla, Carex, Bardana, lignum et resina Guajaci, Dulcamara, Aconitum, Cicuta, Helleborus. Etiam in unione cum aliis praescribi possunt effectu optato, ut Opium cum Ipecac., spir, Mindereri cum liquore C. C succinato aut vino stibiato; Quajac. cum Ammon., Aconitum cum vino stibiato.

d) Methodus per urinam evacuans.

§. 115. Methodus, quae urinae se-ct excretionem retardatam promovet, suppressam restituit, *diuretica* nominatur. Diuresis magisquam alia secretio a concentu harmonico vitae plasticae, a mixtione et vitalitate sanguinis, a celeriore vel tardiore ejus metamorphosi in pulmonibus, maxime vero eo dependet, num separatio liquidi ab solido alacriter succedat.

§. 116. Adhibetur: Si secretio urinae parca aut suppressa est, ut in asthmate urinoso; si actio vitalis organorum uropoeticorum languens stimulanda est, e. g. incontinentia; in morbis, ubi magna quantitas materiarum per urinam eliminandarum intra corpus colligitur, v. g. sabulum in viis urinalibus, aut aqua in textu celluloso, ut in hydrope; si secretio alia excedens antagonistice per diuresim limitanda, aut alia secretio suppresa supplenda est.

§. 117. Prohibetur: In nimia sensibilitate syst. uropoetici; in statu colliquativo; in morbis, in quibus transpiratio cutis uberior

requiritur; in morbis organorum urinalium, qui se et excretion urinae exasperantur, et per consensum etiam organa genitalia af ciuntur; si materia eliminanda nondum bene praeparata est, et crises salutares aliis viis imminent.

§. 118. Etiam in hac methodo saepe praeparatione opus est Si vitium aliquod sive organicum sive dynamicum adsit, hoc pri mum tollendum est remediis opportunis, c. g, inflammatio ves cae aut urethae, spasmi, debilitas aut complicatio hydropis cum blennorrh ca. Ipsa materia per urinam eliminanda indolis sit ma gis fluidae, hinc justa quantitas fluidi organismo suppeditanda est Huic scopo respondet potus tenuis, regimen subfrigidum, ne hoc fluidum in organismum delatum calore in vaporem expandatur et transpiratione cutanea aut respiratione organismo iterum sub trahatur.

Si causa primaria in languore vitae plasticae aut metamor phosi regrediente haeret, ambo processus sunt promovendi. Prae sentibus aliis secretionibus serosis exce dentibus, hae primum im minuantur, e. g. sudor profusus. Eo in casu, ubi sat magna urina quantitas parata in cava corporis aut in textum cellulosum secer mitur, quia resorptio est suppressa, hinc ea est excitanda; in hunc scopum textus cellulosus et vasa lymphatica sympathice sunt ex stimulanda, sanguinis congestio ad renes et nisus in secretionem est accelerandus, quod fit remediis specifico stimulo, aut sym pathico organa urinalia adficientibus.

§. 119 Remedia, quae resorptionem adjuvant et renum func tionem vitalem impellunt, *diuretica* vocantur. Haec in sanguinem recipiuntur, ad renes vehuntur, hoc organon specifice stimulant, e hac ratione non tantum quantitas sed et qualitas urinae mutatur.

Remedia haec sunt vere *uragoga*, quae secretionem urinae in renibus augent, et membranam mucosam renum plus minusve ex stimulant, sunt materiae non assimilandae, quae plus minusve im mutata urina iterum excernuntur. Dantur diuratica frigida et calida.

1. Inter *frigida* principatum obtinet aqua: dein remedia acida acida vegetabilia, praesentim acidum aceticum et citricum; acida mineralia: acidum carbonicum, boracicum, nitricum, sulfuricum; alcalia, praecipue bicarbonates, acidulae, sales acidis diureticis com positi; Nitrum, cremor Tartari, Borax, kali causticum; vegetabilia larga quantitate salium, sachari et aquae instructa, ut radix Apii, Petroselini, Pastinacae sativae, Dauci Carotae, Apii graveolentis, Symphiti off, Asparagus.

2. *Calide diuretica* sunt diversae indolis: Potulenta fermentata, prae cipue acidula et acidum carbonicum tenentia, vinum Campanense; his accedunt dosibus majoribus spiritus vini, Aether nitricus et muriati cus; aethereo oleosa mitiora: semen Foeniculi, Petroselini, Ros marinus; aethereo-oleoso acres: Sinapis, Cepa, Gochlearia Armo-

racia, Raphanus; aethereo oleoso resinosa: Balsamica, oleum therebinthinae, Iuniperus, Sabina, Balsamum peruvianum et Copaivae, Petroleum; substantiae acres: Cantharides, millepedes, Scilla, fibrae Asparagi, Senega, decoctum lignorum ex Sarsap.; Mezereo, Guajaco. His adjunguntur acria amaro adstringentia: Uva ursi, Pyrola, Equisetum arvense, Iuncus pilosus, Ballota lanata, rarrubium, Ononis spinosa, Asclepias Vincetoxicon, Lapathum, Thea sinensis, Rhododendron et Ledum; acria — narcotica: Digitalis purp., Nicotiana, Lactuca virosa, Colchicum autumn., Veatrum. Praeparata Hydrargyri et Stibii mitiora.

§. 120. Methodus diuretica remediis involventibus, relaxantibus, lenientibus nequaquam carere potest, quia organorum uropoeticorum inflammationes saepissime occurrentes secretionem urinae impediunt Haec remedia sunt: Emulsiones ex seminibus aut oleis, mucilaginosa, lac, Lycopodium.

Ad externa referuntur: Frictiones oleosae. cataplasmata calida in regionem renum aut vesicae, vapores et balnea.

B. Methodi qualitati vegetationis respondentes.

Methodus roborans.

§. 121. Methodus, quae reactionem vitalem auget, materiam organicam ad altiorem perfectionis gradum promovet, corpori robur organicum et vitale addit, *roborans* dicitur.

§. 122. Indicatur eo in statu, qui in pathologia generali sub conceptu verae debilitatis occurrit, nempe in subjectiva mbecillitate virium, praesertim muscularium, cujus causa est penuria materiae plasticae; inde emaciatio et atonia musculorum, enuria aut indoles serosa sanguinis, depauperatio, emollitio medullae nervorum, constitutio debilis congenita, evolutio retardata, ut exhaustio virium per jacturam humorum nobilium, aut per conumtionem substantiae organicae post morbos acutos et chronicos.

123. Contraindicatur in excedente actione vitali, in nimio gralucohaesionis materiae organicae, ut in sordibus primarum viarum, n inflammationibus apertis quam occultis organorum internorum ad raeparationem substantiae organicae necessariorum, vitia organica llorum organorum, in obstructionibus et indurationibus viscerum, in uppressis se-et excretionibus, et in casibus crisium suppressarum.

§. 124. In sanatione artificiali ante omnia remedia diaetetico hysica suadenda sunt. Medicus languentem functionem cutis, musulorum et sensuum restaurare adlaboret exercitio organi adfecti, uod fit quoad cutim et musculos lotionibus et balneis frigidis, ëre recente atque puro tempore matutino, somno tranquillo non imis diu durante. Huc porro faciunt justus vestimentorum delectus, atatio, equitatio, scansio montium ... lucis

diurnae, et in genere omnia, quae in methodo restaurante qua in directa adhibenda indicata sunt.

Remedia pharmaceutica roborantia s. tonica adhibentur pos morbos debilitatem universalem aut partialem, inopiam sanguinis nutritionem pravam relinquentes. Digestio et assimilatio est corrigenda, ut alimenta etiam in debilioribus in substantiam organicam mutentur. Ut vero hic scopus obtineatur, remedia in organismo ben digerantur et assimilentur, est necesse, hinc remedia receptivitati e energiae organorum vegetationis inservientium accommodari debent consultum ergo erit semper a mitioribus incipere. Organis digestionis et assimilationis praecipue amara sunt amica, unde eorum nomen „stomachica"; organis enim his stimulum addunt salutarem et mitiorem, neque etiam vasa sanguifera nimis excitant, oxygenium et acidum compescunt. Ad amara pertinent: Trifolium, Centaurium minus, Centaurea benedicta, Polygala amara, rad. Gentianae Colombae, lignum Quassiae, fel tauri inspissatum.

Ad motum sanguinis excitandum, calorem augendum in usum vocantur amaro-aromatica, quae oleo aethereo stimulant, ut: Artemisia, Tanacetum, Cortex Cascarillae. Ab his adscendendum es ad fortiora tonica, nempe adstringentia; materiae enim plasticae elaborationem, humorum coagulationem et fibrarum muscularium textusque cellulosi contractionem augent, ut: Radix Ratanhiae Tormentillae, Gallae et cortex Quercus, cortex Salicis, cort. rad Granat, nucum juglandum

Tonica nutrientia, quibus in est materia plastica, roborant absque stimulo simulque nutriunt: Lichen islandicus, cortex Ulmi interior.

Digestionem, assimilationem, sanguinis elaborationem et nervorum nutritionem sollicitant, motum musculorum validiorem, pulsum fortiorem et pleniorem causant, functiones nervorum excitant se-et excretiones ex debilitate excedentes moderant: Cinchonacea

Carbone efficatia putredinem a corpore animali coërcent, aëres mephiticos absorbent, producta morbosa immutant.

Ultimo ferrum ejusque praeparata et aquae ferratae adhiber possunt, elaborationem sanguinis. praecipue ejus cruoris perfectiorem adjuvant, vitae irritabili robur conciliant.

In sordibus primarum viarum evaculantia mitiora, non debilitantia, praecipue Rheum praemittenda sunt. Si in topicis affectionibus cum torpore congestio sanguinis activa versus partem morbosam locum habet, haec primum sedantibus sufflaminanda est, et si congestio esset valida, venaesectio instituatur.

Externe forma balneorum salutarem effectum praestant: Ferrum, aquae minerales ferratae, vegetabilia tanninum tenentia, ut quercus, Salix, China; aethereo—oleosa roborantia: Acorus, Absinthium, Humulus lupulus, Thymus serpillum, Rosmarinus

Mentha; lotiones spirituosae, cum spir. Lavandulae, aq. Coloniensi, sp. Serpilli, Iuniperi.

2. Methodus solvens

§. 125. Illa methodus, quae materiae plasticae nisum in cohaesionem nimiam mitigat, *solvens* vocatur.

126. Solutio est effectus ipsius vitae, medium vero solutionis est partim expansio praevalens et calor, partim oxydatio excedens. Solvendi modus duplex datur, vel processus vitalis excitatur, ergo etiam calor augebitur; vel remedia adhibita ob chemicam affinitatem cum materia organica nimiam cohaesionem minuunt et impediunt. In primo casu solutio est indirecta, et methodus volatiliter stimulans cum effectu desiderato applicatur, quae calorem animalem intendit, et sic juxta leges physicas caloris omnes partes extenduntur. Adhibetur tantum in languore processus vitalis.

In altero casu solutio est directa, et indicatur in morbis, qui causam morbi agnoscunt in spissitudine et densitate humorum, in solidorum regidiatate, vasorum obstructione, induratione organorum, in infarctibus et tumoribus glandularum et viscerum. — In morbis, ubi quaedam harum causarum non invenitur, methodus solvens prohibetur.

§. 127. Remedia solventia sunt diaetetica et pharmaceutica; ambo distinguuntur in mitiora, fortiora s. irritantia, alterantia et specifica. Ad mitiora pertinent plura alimenta, praecipue saccharina et mucosa vegetabilia ut: Uvae, Saccharum, Rapae, Betae rubrae et cyclae, Asparagus, Spinacia, Caricae, Dactyli, Cucumeres, Melo, rad. Pastinacae, Dauci; Mel, lac cum suis praeparatis, Liquiritia, rad. Graminis, Malthum. Alia series solventium, ad quam sapones transitum faciunt, sunt: Alcalia et terrae cum suis salibus; Carbonas lixivae, Carbonas sodae crystallisatus, Boras sodae alcalescens, Acetas kali, Murias Ammoniae, Barytae, Calcis; acida vagetabilia varia: Acidum aceticum, tartricum, oxalicum, carbonicum et muriaticum. Sales et acida partem constituentem potus consueti naturalis, aquae fontanae et aquarum mineralium constituunt, quae etiam propter ferrum ad tonica resolventia, referuntur. In ultima serie solventium mitiorum sunt vegetabilia materia solvente amara et salibus instructa, quo referuntur: Cichoreum, Taraxacum, Fumaria, Saponaria, Centaurea benedicta, Marrubium, et praesertim succus plantarum recenter pressus.

Irritantia sunt mere acria, ut: Iodium, Bromium, Chlorium, quae partim regulina, partim in unione cum metalloidibus, metallis adhibentur. Vocantur etiam acria mineralia.

Alterantia et specifica solventia sunt; Hydrargyrum, Stibium et Aurum, eorumque praeparata, et arsenicum.

Effectum horum remediorum augent diaetetica et psychica. Regimen bene coordinatum ante omnia summe necessarium, aer sit

purus, montanus, motus corporis varii moderati, summa cuti mundities; absit nimia mentis adstrictio, animi pathemata depri mentia sunt vitanda, animus potius sit hilaris.

Saepe interna non sufficiunt ad morbum tollendum, sed simu etiam externa sunt adhibenda, ut: Calor tam siccus quam humidus emollientia varia, tam mucilaginosa, quam pinguia adjuvante calor et humiditate sub forma diversa sunt adplicanda.

Crises

§ 128. Si morbus praesens variis medendi methodis ex consi lio medici eum in stadium pervenerit, ubi crises apparuerint, me dicus omnem operam navabit, has promovendi, ut jam in cura ra dicali expositum est. Quoniam vero crisis tam universalis quam to pica est, etiam remedia huic scopo respondentia eligenda sunt.

I. Crisis universalis se manifestat sudore et urina; topica ve ro, s. partialis haemorrhagiis, alvo diarrhoica, vomitu aliisque phae nomenis. Ad crisim saluti aegri inducendam probe noscamus opor tet, quando momentum criticum intrat, quod cognoscitur aut mo liminibus criseos, aut tempore, in quo morbus exordium coepit quia plurimi morbi decursum regularem amant.

Sudor criticus ille denominatur, qui justa quantitate e cut molli erumpit, et per totum corpus cum levamine aegri diffunditu Si sudor cum charactere erethistico apparet, suppressio est impe dienda, quare justa ratio temperaturae habitationis habeatur, calo est augendus, frigus avertendum, vestes maddidae exuendae et po tu calido sudor proliciendus. Si sudor cum charactere torpido junga tur, systema nervosum et cutaneum est excitandum, e. g. Liq. am mon., succ. inf. herbae melissae, potu spirituoso, vino nempe ge neroso vetusto. — Interdum crisis praeparari debet, praesertim s transpiratio intercipitur, si cutis est aspera et rigida, calor mordax quin sudor erumpat. Optima remedia sunt tepidae fomentationes e balnea tepida, quae simul cutem immundam sordibus purgant, pos balnea corpus fricatur panno aspero, aromaticis suffito, et prae sente spasmo pulvis Doweri indicatur. Si vero sudor nimia copia in aegro jam valde debili aut cum charactere torpido evolvatur, tempe ratura habitationis est imminuenda, potus sit subfrigidus, exhibeantu aqua frigida et acida mineralia, v. g. Acid. Halleri; aut Limona da, infusum herb. salviae.

II. Haemorrhagiae criticae criseos partialis vocari possunt, s sanguis coloris laete rubri, mox coagulans justa quantitate cum levamine aegri prorumpit. In statu erethismi medicus sit observato attentus; minime in statu torpido, hic sanguis parca quantitate funditur, et criticus vocari nequit, haemorrhagia ergo adjuvanda erit. In epistaxi corpus quoddam firmum naribus intruditur, au

aqua calida naribus attrahitur, aeger observet situm erectum. Haemorrhagia tubi intestinalis augetur vaporibus, fomentis, clysteribus, genitalium fluxus sanguineus infuso Sabinae, Therebinthina sub situ horizontali. In charactere synochali excedens haemorrhagia est arcenda, aeger circumdetur temperatura depressiore, fruatur animo tranquillo et quieto; his nihil juvantibus frigus applicatur, antiphlogosis et derivatio venaesectione inducitur, et quidem eo respectu, si haemorrhagia super diaphragma locum habuerit, etiam sperius evacutio sanguinis, et vice versa est indicata.

III. Alvi profluvium tantum in nonnullis morbis qua momentum criticum sese manifestat. In statu erethistico cura exspectativa est indicata, omnia solerter vitentur quae crises supprimere valent, ut sudores profusi, refrigerium; ne vero excrementa saepe acria enteritidem excitent, pro potu obvolventia, praesente tenesmo clysteres mucilaginosi applicantur. Si crisis per alvum promovenda esset, indicantur sales medii, Tamarindi, fructus horrei. — In statu torpido cum tremore labii inferioris, pulsu intermittente, nulla alvo aut tantum parca quantitate subsecuta, evacuatio quantitative et qualitative est augenda et quidem fortioribus remediis, e. g. Rheo, Ialappa. — In synochali charactere alvo forte excedente haec restringenda est, quod tantum successive moliri conamur, quia repentina suppressio irritationem vehementiorem imo etiam inflammationem et metaschematismum inducere valet; initio ideo porrigantur potus mucilaginosi, e. g. Emulsio e gummi arabico, clysteres ex amylo et opio.

IV. Vomitu crisis sese insinuans in erethismo autocratiae naturae committitur; in torpore vomitum praecedunt ructus, tremor labii inferioris, sapor amarus, quin vomitus cieatur, hinc adjuvandus est emeticis, sed ea circumspectione, an ceger etiam in statu versetur, ut emeticum assumere possit, sitne diarrhoea praesens aut secus.— In charactere synochali vomitus effrenis cum incitabilitate exaltata non criticus sed symptomaticus est, hinc eidem imminuendo adlaborandum est: mucilaginosis cum narcoticis, acido sulfurico, potu Riveri, pulvere aëroforo, vino Campanensi, fomentationibus ex Hyosciamo, et antagonistice sinapismo in regione hypogastrica.

De exitu morborum.

§. 129. Pro vario exitu morborum etiam indicatio varia erit, Morbus transit vel in sanitatem perfectam, vel in imperfectam, vel in alium morbum. — Stadium perfectae sanitatis s. stadium reconvalescentiae requirit, ut potentiae externae nocentes dispositioni praesenti faventes removeantur, ipsaquae dispositio sensim supprimatur, debitus energiae vitalis vigor restituatur, et organismus aut singula organa restitutione massae perditae ad integritatem reducantur. Hoc in casu methodus restaurans indicatur.

§. 130. Exibus morborum in sanitatem imperfectam vel in formationem puris, vel aquae, vel in exsudationem, in paralysim vel indurationem, scirrhum, carcinoma, vel in gangraenam et sphacelum obtinet, hinc indicationes etiam variant.

A. In formatione puris s. suppuratione organismus eo determinetur, 1. ut; formetur pus purum, laudabile, et ichoris genesis impediatur. Ad hoc consequendum in characterem respiciendum est in erethismo natura in suo opere suffulcienda est: calore maddido cataplasmatibus, in synochali charactere exaltata actio vitalis debilitanda est methodo sedativa, si actio excedit in syst. nervoso, tumor et rubor minus preavalet, dolor vero intensus in usum vocantur cataplasmata cum Cicuta, Hyosciamo, Belladonna, etiam opium ejusque tinctura; si in systemate vasorum actio vitalis exsuperat, etiam cataplasmata et sales medii antiphlogistici extradantur.

2. Ut pus formatum superfluum e corpore eliminetur, evacuatio vel arte perficitur, vel naturae committitur.

3. Ut abscessus in cicatrisationem deducatur; quare obtegitur abscessus apertus linteo carpto molli, vel spongia vel gossypio ut per haec pus effluens suscipiatur, — Si vero pus sive externe sive interne corrumpitur, cicatrisatio impeditur, causae hujus impedimenti sunt removendae, earum effectus jam provocati sunt deprimendi, et nulla causa detecta debilitas organorum reproductionis est imminuenda roborantibus et stimulantibus, externe Therebinthina vitello ovi subacta, linteo carpto illinita vel fomentis ex herbis aromaticis et adstringentibus,

B. In formatione aquae indicationes sunt: Collecta aqua evacuetur, nova collectio impediatur, et reactio organismi observetur.

1. Evacuatio vel arte perficitur paracentesi, aut viis naturalibus committitur, quae sunt: tubus intestinalis, organa uropoetica et cutis.

Evacuatio liquidi per tubum intestinalem ut eveniat, vitalitas ejus est augenda. Hic ad molimina naturae attendendum, si enim ructus aut turgescentia superiora versus cum levamine locum habet, Ipecacuanha sola aut cum Antimonialibus in usum vocatur; si vero tractus intestinalis est excitandus, indicata sunt remedia per alvum evacuantia antiphlogistica vel drastica pro diversa individualitate.

In evacuatione per systema uropoeticum etiam duae series remediorum indicantur: antiphlogistica et excitantia; et quidem priora in statu synochali, ut sales medii, kali cum acidis minus fixis digit. purp. in pulvere vel infuso; exeitantia applicantur in statu torpido incipiendo a mitioribus, ut decocto rad. Onon, spin. Bardanae, baccae et ligni Juniperi, quae etiam potui admisceri possunt, Squilla, potissimum ejus extractum, quoniam vero vi stimulante fortiore organismum adgreditur, in membranis cavi pectoris aut tubi-

intestinalis inflammationem excitando, ad praecavendum huncce effectum additur aromaticum, v. g. Cortex Cinnamomi; adhibetur etiam Therebinthina, plerumque in emulsione, Balsamum Copaivae in emulsione, Cantharides vel in pulvere, vel tinctura. Externe emplastrum Cantharidum. — Evacuatio per cutem methodo diapporet ea absolvitur.

2. Collectio recens praecavetur vel per destructionem membranarum secernentium, quod raro fieri potest, et quidem tantum in partibus serosis minoris dignitatis; vel vitalitas membranarum, quae a diversis causís originem petere possunt, deprimenda est.

3. Reactio organismi: si characterem erethismi habet, natura in sua vi medicatrici non est turbanda, cum charactere synochali in syst. vasorum antiphlogistica sunt indicata, venaesectio, sanguinis evacuatio topica, nitrum, febre minore praesente exhibeantur diuretica cum antiphlogisticis: si syst, nervosum magis quam vasorum est affectum, indicantur Opium et alia narcotia cum diaphoreticis et diureticis, in torpóre tonica praescribuntur, praesente assimilatione debili Elaeosaccharum, Aetheres.

Quia hydropici plerumque multum bibere solent, etiam potus consentanei sunt eligendi; optimus potus aqua habetur, et remedia ad systema uropoeticum et ad tubum intestinalium simul agentia, ut: Decoct. Onon. spin., Oxym. Squillae, Cremor tartari, in cutem simul agentia: Inf, Menth. piper., Sambuci, Melissae. In synocha conducunt potus refrigerantes, acida, aqua cum oxym, squillit, in torpore vinum.

C. In exsudatione iterum duo momenta sunt respicienda: producti morbosi remotio et reactio. — Si exsudatio extra organismum locum habet, plerumque anomalae adhaesiones operatione chirurgica exstirpantur; si vero exsudatio in interioribus partibus contigerit, dum adhuc auxilium possibile aestimatur, si lympha plastica in textum cellulosum se deposuerit, functio organi quidem turbata est, sed organismus adhuc reactionem inducere valet. Si haec reactio est erethistica, quod quidem raro, tantum causae removeantur, et naturae viribus relinquitur. in synocha methodus sedativa, in torpore methodus solvens est indicata.

D. In paralysi nervorum etiam indicatio variat, si nervus vere dynamicus paralysi afficitur, sanatio est impossibilis, et si nervus cujusdam organi nobilioris paralysatur, mors sequitur; in minori tantum gradu paralysis vita conservari potest applicatione caloris, frictionibus, inunctionibus linimenti volatilis, remediis ammoniacalibus; sinapismis, vesicantibus, electricitate, moxa, ferro candente.

E. Scirrhus et cancer in statu inflammatorio methodo antiphlogistica et regimine antiphlogistico stricte observato tollitur. si vero ob energiam vitae infractam degeneratio increscit, doloresque atro-

cissimi aegrum cruciant, narcotica externe et interne sunt indicata. Praesente diathesi carcinomatosa universali cura prophylactica indicatur.

F. Indicatio gangraenae duplex censetur; 1.) ut propagatio gangraenae impediatur, 2.) ut separatio partis gangraenosae acceleretur.

Ut propagatio limitetur, causae ante omnia sunt removendae, processus inflammatorius adhuc praesens methodo antiphlogistica strictissima est suffocandus; in summa debilitate methodus roborans et stimulans instituatur. Externe fomenta aromatica, spirituosa ex herbis aromaticis cum successu felici adhibentur.

Evoluto jam sphacelo pars demortua separanda est ab organismo sano. Haec separatio est vel topica vel universalis. Topica se insinuat limite rubro inter partem vivam et mortuam. In charactere erethistico color est laete ruber, limes valde turgescens, non vehementer dolens, hic methodus exspectativa valet. In charactere synochali limes etiam valde turgescens, sed calidus et vehementer dolens, hic methodus sedativa necessaria. In charactere torpido limes non laete ruber, sed pallidus, margines mere collapsi, non dolentes, propagatio mali accelerata, methodus fortiter stimulans promptissime exequatur.

Reactio universalis sub forma febris apparet; in affectione vasorum excedente evacuatio sanguinis, nitrum, regimen frigidum conducit; in affectione nervorum exaltata narcotica scopo respondent; praesente statu torpido stimulantia indicantur, v. g. Ammon., Moschus, China, Phosphorus.

§. 131. Si morbus in morbum alium exitum minatur, indicatio recenti morbo accommodanda est.

Theses.

I.

Ad morborum diagnosim requiritur, ut non tantum symptomatum complexus noscatur, sed ut eorum quoque nexus pervestigetur.

II.

Systema naturale phytologicum est ultimum petitum scientiae, cujus caeterum praecipuum columen systema artificiale constituit.

III.

Narcotica stimulo negativo agunt.

IV.

Quivis vomitus virium vitalium universalem producit reactionem.

V.

Usus aquae frigidae interne et externe in organismum humanum adhibitae in medicina summi est momenti

VI.

ontagium nonnisi dispositione favente morbum producit.

VII.

xistit vis naturae medicatrix.

VIII.

ulmoni bruma, hepati aestas maxime infensa.

IX.

olitia medica propagationem morborum impedit.